COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XXIX. PARS II.

LIPSIAE, MDCCLXXXVII.

APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.

Venduntur etiam

Londini apud Pr. Elmsly, Edinburgi apud Elph. Balfour, Lugd. Bat. ap. Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi senior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Milano apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Florentiae apud Ios. Molini, Holmiae apud M. Swederum.

I.

Kongl. Vetenſkaps Academiens Nya Handlingar Tom. VII.

i. e.

Noua Acta Ac. R. S. Suecicae Tom. VII. ad ann. 1786. Holmiae ap. Io. G. Lange 1786. 8. pagg. 328. Tab. aen. 8. item Tabulae quatuor integrarum plagularum typis impreſſae formulas aequationum continentes.

Trimeſtre I.

I. IO. CAR. WILCKE abſoluit tractatum de *typhonibus*. Electricas vires agere, ita vt et electricae materiae aëreas particulas ſecum ferant, et ipſae ab actione aëris externi in varios motus agitentur. Quae prolixius explicat et cum phaenomenis confert. p. 3.

II. CAR. WILH. SCHEELE de *ſale eſſentiali gallarum*. Obtinuit illud ex ſedimento infuſi gallarum aqua frigida. Ineſſe ipſi gallarum infuſioni, licet cryſtalliſatione vulgari oſtendi nequeat, forte quod gummoſo cuidam aut alii materiae tam arcte vnitum ſit, vt non niſi fermentatione aut motu inteſtino ſeiungatur. p. 31.

III. BENEDICTUS REINHOLD GEIJER recenſet indicia *Spathi fluoris* et *galenae* prope *Cimbrishamm* in *Sconia*. p. 34.

IV. AND. IO. HAGSTRŌM *foramen ouale* in ſepto auriculari cordis apertum reperit in cadauere feminae circiter quadragenariae, omnino quale *Hallerus* in foetu delineauit, niſi quod maius eſſet, vtpote adultae. Ductus arterioſus pro more occluſus. p. 48.

 V. OL.

p. 49. V. OL. DE ACREL laudat obſeruationes et quaedam addit.

p. 50. VI. CLAUD. BIERKANDER edit *Calendarium Florae Veſtgothlandicae* annorum 1757 — 1785.

p. 57. VII. C. P. THUNBERG deſcribit quaſdam *Albucae* ſpecies.

p. 60. VIII. GUST. PAYKULS nouam deſcribit *Phalaenam* Suecicam, cui nomen dedit *Noctuae Teliferae*.

p. 64. IX. BENED. ANDR. EUPHRESEN deſcribit *piſces duos* Suecicos, quibus nomen: GOBIUS *Ruuthenſparri* et COTTUS *Bubalis*. Capti in Oceano Sueciae occidentali prope Bahuſiam.

p. 67. X. ANDR. SPARRMANN edit obſeruationes de VIVERRA *Genetta*, et ORIOLO *Galbula*.

p. 73. XI. SAM. OEDMANN inquirit, qualis auis fuerit *Catarrhactes* antiquorum.

Trimeſtre Secundum.

p. 81. I. LEIJONMARK pergit agere *de radicibus* aequationum biquadraticarum.

p. 118. II. ERIC. PROSPERI edit obſeruationes *Vpſalienſes Mercurii per diſcum ſolis* tranſeuntis 4. Maii 1786.

p. 121. III. HENR. NICANDER eiuſdem phaenomeni obſeruationes *Holmienſes*.

p. 123. IV. ANDR. LIDTGREN *Londini* Sconiae habitas.

p. 124. V. ANDR. FALCK *Scarae* inſtitutas.

p. 158. VII. ANDR. HELLANT in vrbe Lapponiae *Torne* habitas.

p. 126. VI. ADOLPH. MODEER *Oeſtri* hiſtoriam exhibet. Generis characterem ſtatuit, quod nihil appareat maxillarum, dentium, caet. quae ad aliorum dipterorum os pertinent, ſed oris loco tria puncta, vel eleuata, vel profundius inſita. Vaginam, quae

ex

ex femina ouulum animali impositum habet, non ita comparatam esse, vt punctura praestare locum ouo possit, ipsum vero ouum, insertum habere apicem acutum, quo viam sibi in cutem animalis aperiat, p. 128. duritie sua sustinere vncorum vaginae quibus circumdatur vim, his autem vncis et lamellis exterioribus vaginae effici, vt vulnus apice suo faciat et illi inseratur. Postquam perfectum animal ex pupa p. 133 exiit, haec ossis duritiem nanciscitur, in quam si flatus vrgetur vt in tibiam, sonus editur, tibiae venatoriae sono similis, vt eius loco pupa vacua possit adhiberi. Species has recenset 1) *Oe. Trom-* p. 134. *pe*, quo nomine Lappones insigniunt, maximum, non adeo vulgarem. Mire in eo nominando LINNEUS. Est: *Oestrus niger thorace flauo* editionis primae Faunae Suecicae in Secundo *Oe. nasalis* describitur, et descriptioni adiiciuntur citata ad *Trompe* pertinentia, ipsumque nomen. In vltima systematis cet. editione deest omnino *Trompe*, omisso nomine vna cum citatis ad hanc speciem pertinentibus. A nullo adhuc auctore haec species descripta est. 2) *Oe. Tarandi* Lapponibus *Curbrua* 3) *Haemorrhoidalis* ouula anui equorum inserens. 4) *Nasalis* ouula nasis equorum immittens. 5) *Bouis*. 6) *Ouis*. Singularum specierum characteres et historiam recenset, adhibitis qui de illis egerunt auctoribus, vt FRISCHIO, de REAUMUR, DE GEER. Nondum omnes species absoluit. Cum LESKIUS ostenderit, ouium vertiginem (*Drehen der Schaafe*) non ab oestri laruis esse, sed a vermibus, Noster suspicatur, prodesse ipsas has laruas contra vertiginem humores auferendo, qui alias vermibus prodesse possint, vtiturque LESKII obseruatione, non tam oues adul- p. 155. tiores vertigine laborare, quam agnos, qui, cum nullam adhuc aestatem vixerint, ouula oestri recipere non potuerant.

Trimeſtre tertium.

p. 161. I. LEIJONMARK pergit agere de *radicibus aequationum.*

p. 180. II. MODEER continuat enumerare ſpecies oeſtri. 7) *Elaphi.* 8) *Antilopum*, quem PALLAS in Ruſſia reperit. 9) *Faſciculoſum*, quem LEPECHIN, etiam in prouinciis Ruſſiae obſeruauit. 10) *Hominis* in America meridionali hominibus infeſtum. Retulit de eo Prof. CAR. LINNE *Nordiſche Beyträge* P. I.

p. 186. III. CAR. BLOM deſcribit *Betulam hybridam.*
p. 191. Acer Platanoides pater eius iudicatur, ad quem omnino accedit foliis, quae ſunt alterna, ex ſingula gemma frondeſcente bina, erecta, petiolata, tri partita vel quinque partita, dentata, dentibus apicibusque loborum acutiſſimis, glabra, neruoſo venoſa, petiolis ſeſquilongiora. Deſcribit etiam amenta feminina; maſculina nondum obſeruauit, tempore, quo contemplatus eſt arborem, betulae albae amenta maſculina decidua iacebant ſub arboribus, ſub illa hybrida nihil eorum vidit; an omnino deſint, ſequenti anno eſt examinaturus. Reperta eſt arbor in loco *Ornäs Dallandiae*, vnde *betulam Ornås* appellat.

p. 193. IV. FRID. MALLET agit *de mutuis planetarum apparentiis* in primis *ſtationibus.*

p. 215. V. SAM. FAHLBERG deſcribit *inſulam St. Bartholomaei* nuper Suecis conceſſam. Eſt inter illas, quae Europaeis occidentem verſus nauigantibus *ante* continentem Americae occurrunt, *ſupra ventum* vocatae. Noſter de ſitu, climate, plantis inſulae agit. Haec pleraque ipſi communia ſunt cum vicinis, et aliunde nota, intereſt tamen Suecorum, de iis, quae in ſua reperiuntur, doceri.

Tri-

Trimeſtre quartum.

I. LEIJONMARK concludit tractationem *de radicibus aequationum.* p. 244.

II. SAMUEL FAHLBERG abſoluit hiſtoriam naturalem *inſulae S. Bartholomaei.* Plantas enumerat, quarum vſus oeconomicus eſt. Animalia domeſtica vix ſunt niſi caprae. Aquae defectus vaccas et equos nutriri prohibet. Ouium lana poſt aliquot generationes in crines rigidos abit forte propter calorem. p. 248.

III. C. B. THUNBERG, *orchides* ordinat, quarum aliae ſunt ipſi *cornu nullo*, aliae *antico*, aliae *poſtico.* p. 261.

IV. ZACH. NORDMARK Problema aliquod *geometriae ſublimioris* ſoluit ſola analyſi geometrica, nullo adhibito calculo infiniti. p. 262.

V. ADOLPH. MODEER agit de *pennatulis*, quarum formam cum conſtituat ſtirps, a qua exeant velut radii gerentes caliculos, in quibus latent animalcula, ſtirpis autem partes ſint rachis, cui inſident radii, et ſtipes, ex harum partium conditionibus genera diſtinguit, conquiſitis ſollicite, quae auctores tradiderunt. Infixas fundo maris eſſe ſtipite pennatulas, at aliis corporibus etiam viuis adhaerere, non natare in mari niſi vi auulſas, itaque non libere, pluribus confirmat. p. 267.

V. P. I. BERGIUS, de *inſectis herbariis infeſtis.* Sunt illa in primis Ptinus Fur, Dermeſtes mollis, et Thermes pulſatorius. Graueolentibus vix ſatis arcentur, cum odor exſpiret. Ptinus et Dermeſtes aegre ferunt calorem, itaque prodeſt herbarium collocari hieme prope fornacem calentem. Si frigida hieme voluantur folia plantas ferentia, excutiuntur laruae, et necari poſſunt. Id conuenit etiam fieri vere et autumno, ciſtam vero, in qua aſſeruantur, ita collocari, vt circa eam et infra illam p. 302.

ſordes ſaepius poſſint auerruncari, item aëri libero aeſtate tranſitus pateat per cameram, vbi locum ſuum habet. Glutini, quo plantas firmat, admiſcet pauxillum mercurii corroſiui albi.

p. 310. VII. CAR. N. HELLENIUS *nouum coleopterorum genus* deſcribit, cui nomen *Serropalpi* dat, a palpis ſerratis. quibus ab aliis diſtinguitur, vt: *Mordella* et *Elatere*, ad quos ceterum habitu accedere poſſet. Rarius eſt, vt ipſa palporum conditio, ne quidem inter palporum diſcrimina *Fabricio* nominata. Duas ſpecies recenſet, alteram, quae generi occaſionem dedit, in Finlandia repertam, alteram quae, LINNEO *Elater Bupreſtoides* dicitur. Hoc ſpeciei nomine vti non poteſt quoniam et alteri eſt: Thorax caput excipiens. Sunt autem generis noui characteres.

Antennae ſetaceae, *Palpi anteriores* profunde ſerrati, articulo vltimo truncato, apice excauato, *Thorax* antice conuexus, caput excipiens, poſtice depreſſus marginatus, angulo vtrinque prominente ſubdentato.

II.

Neue Beyträge zur Natur- und Arzneywiſſenſchaft herausgegeben von C. G. SELLE, *der Arzneyw. D. und Profeſſor, Arzt des Charitehauſes und Mitglied der Königl. Akademie der Wiſſenſchaften in Berlin. Drittel Theil. Berlin, bey Mylius,* 1786. *in* 8. 11 *plagg.*

i. e.

Nouae ſymbolae ad ſcientiam naturalem et medicam, auctore C. G. SELLE —

Plurima ſcitu vtilia medico atque praeclare facta geſtaque a Cl. Auctore enarrantur in hac vtiliſſima colle-

collectione, quorum paulo vberiorem epitomen exhibere expedit.

Primam libri partem SIGISMUNDI FRIDERIC HERMBSTAEDT *experimenta et obseruata physico-chemica* occupant. Isque Cl. et sagacissimus vir primum *modum exponit, aërem dephlogisticatum plurimis sumtibus parandi atque in nosocomiis adhibendi.* Copiosa experimenta Cl. virum docuere, aërem dephlogisticatum materiam caloris elementarem purissimam esse, saltim maxima ex parte ex ea constitui. Adhibitus autem in nosocomiis militaribus Borussicis hic aër ad morbos curandos efficacem se quidem praestitit, experimenta autem voto non responderunt, inprimis quoniam furni ad hunc aërem euoluendum idonei nimis magno pretio parandi vix permittunt, vt hic aër ad copiosos vsus queat praeparari, et quoniam retortae a nitro facile, et ante finitum laborem, corroduntur. Ipsius etiam nitrosi acidi pars in aërem dephlogisticatum ex nitro paratum transit, aëremque hunc ad plurimos vsus medicatos ineptum reddit.

Aër autem ad vsus medicatos vt efficaci modo valeat dephlogisticatus, opus est, vt pretio exiguo queat comparari, vtque alia nociua parte imbutus non sit. Easque ob caussas dephlogisticatus aër ex nitro, praecipitatis mercurialibus aliisque calcibus metallicis praeparatus ad medicos vsus adhiberi nequit. Facilis etiam ad eum euoluendum operatio chemica esse debet. Naturale autem corpus, quod pretio non magno venditur, et aërem dephlogisticatum purissimum copia admodum magna continet, *magnesium vitriariorum* est, cuius vnciae XVI. carbonum igni in retorta terrea expositae, aucto sensim igne aëris dephlogisticati purissimi 1528 pollices cubicos largitae sunt. Magnesium, nullam ponderis iacturam passum, in retorta residuum ad-

ditis olei vitrioli Saxonici vnciis XVI. aëris dephlogisticati purissimi iterum 1856. pollic. cubic. dedit, indeque patuit, magnesii vitriariorum cum acido vitriolico iuncti libram vnam 3384. pollic. cubicos aëris dephlogisticati dare. — Intenso admodum igne, vt retorta eo canderet, ad euoluendum aërem non opus fuit, eadem adeo retorta eidem vsui postea iterum inseruiente. — Modos postea exponit Cl. Vir, sed vix in epitomen redigendos, aërem dephlogisticatum ex magnesio in nosocomiorum vsum ita praeparandi, vt furni ad talia apti construantur, quibus et nosocomiorum conclauia calefaciantur, ipseque aër copiose ex magnesio retortis imposito, quae ignem ab eodem furno accipiunt, obtineatur.

p. 21. *De extractis vegetabilium parandis.* In his parandis semper eo respiciendum est, vt essentia *animaque* eius, quod extrahitur, in extracto contineatur, indeque neque leuis, neque negligendus labor est, quem pharmacopola in parandis extractis impendit. Primum est in parando extracto, vt omnes partes inutiles atque non efficaces in extrahendo separentur. Corporum etiam praesertim vegetabilium ratio habenda est et constitutiuarum partium, num resina, gummi, aut salinum principium in iis contineatur. Nec coctione partes, praesertim si volatiles sunt, extrahi debent. Metallica vasa quaecunque extractis parandis vix inseruiunt; omnia enim vegetabilia, praeter sales medios, acidum phlogisto obtusum atque inuolutum continent, quod facile euoluitur. Succus ex taraxaci radicibus in cupreo vase inspissatus extractum subnigrum, foedum, admodum nauseosum dedit. Alia eiusdem succi pars in vase ferreo inspissata extractum subnigrum, admodum constringens exhibuit. Tertia pars

pars in vitreo vaſe inſpiſſata extractum lucidi coloris, ſaporis mellei, grati, dedit.

Radicum graminis extractum in ferreis aut cupreis vaſis paratum ſemper metalli partem continuit. Earundem vero radicum ſucco in vaſe vitreo inſpiſſato extractum Noſter obtinuit a melle vix diſtinguendum, quod mora aliquot ſeptimanarum intercedente moleculas ſaccharum referentes depoſuit. Omnes alii vegetabiles ſucci in metallicis vaſis inſpiſſati ſemper metalli partem continuerunt, in vitreis vero vaſis praeparati longe blandiores euaſerunt.

Ferrum autem licet innoxium putetur, eius particulae tamen extractis vegetabilium admixtae aut obſunt, aut ſaltim extractorum vim mutant. Mixtionem praeterea partium extractum conſtituentium mutant, indeque, licet etiam innoxium metallum ſit, tamen ab eo admixto longe alias virtutes extracta acquirant neceſſe eſt.

Maxime autem in extracto quocunque obtinendo id notandum eſt, vt omnes efficaces conſtitutivae partes corporis, ex quo paratum eſt, illi inſint. Infuſa cum feruente aqua odoriferae plantae extractum dederunt omnibus notis bonum, odorem adeo plantae ſuae conſeruans, attamen ob reſinoſas partes copioſe admixtas minus pellucidum. Vt autem voto ſuo penitus ſatisfaceret Noſter, ex ſubſtantiis vegetabilibus odorem ſpargentibus oleum primum deſtillauit, idque extracto dein admiſcuit eo modo parato, vt vegetabilia cum frigida aqua infunderentur, infuſum colatum ad ſyrupi conſiſtentiam inſpiſſaretur, inſpiſſatum iterum cum aqua frigida ſolueretur, quod demum, ſedimento reſinoſo depoſito ſatis copioſo, blanda euaporatione in extracti conſiſtentiam redigitur. Si autem ex corporibus, quae aequam partem aut ſaltim ſatis notabilem

tabilem gummosae et resinosae materiae continent, extractum parandum est, praestat resinam cum spiritu vini alcalisato extrahere et seorsim inspissare, postea gummosae parti, cum aqua frigida extractae, resinosam in euaporationis progressu admiscere. — Stannea vasa praeparationi extractorum maxime inseruiunt, quae scilicet ab acido vix soluuntur, nec alio facile modo nocent.

p. 51. *De mercurio dulci praeparando* alia tractatione agitur. Dulcis mercurius in officinis pharmaceuticis venum prostans saepe corrosiuus, indeque metus iustus est, ne medicus, hoc dato, medicamenti loco venenum praescribat. Perfecte dulcis autem mercurius is est, qui acido salis communis purissimo iunctus copiam tantam mercurii continet, vt et igne intercedente fortissimo nullus amplius mercurius illi coniungi possit. Optima methodus mercurium vere dulcem et ab omni venenatae vis suspicione liberum parandi haec est, vt quatuor vnciis mercurii viui purique totidem vnciae olei vitrioli adfundantur, cuius vero specifica grauitas 1,500 excedere debet. Haec mixta forti et continente igne in albam solidamque massam mutantur, cui in mortario terreo tritae mercurii viui vnciae duae cum dimidia, et salis communis decrepitati vnciae quatuor et dimidia admiscentur. Sublimatus ex his mercurius dulcis altera vice sublimatus medicamentum admodum tutum et praeclari vsus praebet.

p. 63. *Descriptio tincturae antimonii saponaceae, ex qua acidorum ope sulphur et regulus restitui possunt.* Praeparationis modum exponere pagellarum nostrarum angustia vetat. Constat ex hepate sulphuris antimonium continente, quod aqua solutum adfuso vitrioli acido praecipitatur. Praecipitatum hoc cum alcali caustico, donec fuerit solutum, coquitur, tandem

dem oleo amygdalarum addito in ſaponis formam inſpiſſatur, qui demum cum ſpiritu vini alcaliſato ſoluitur. — Cauendum in ea praeſcribenda eſt, ne acidis iungatur.

Analyſis chemica calculi biliarii cryſtallinam formam habentis. Adſeritur, calculis biliariis omnibus vnas easdemque partes conſtitutiuas eſſe, variam autem earum proportionem diuerſam calculorum formam efficere. p. 70.

Sequuntur nunc SELLE, V. Cl. *adnotata medica*, p. 75. et primum quidem, *de maligna febre.* Proprii, quem ſuſtinuit auctor, morbi hiſtoria enarratur, eoque exemplo antiqua iſta, at neglecta veritas confirmatur, dari febres non inflammatorias, quae gaſtricae non ſunt, nec euacuationem vllam per vomitum aluumue permittunt, in quibus materialis cauſſa magis in irritato neruoſo ſyſtemate, ſiue potius in irritatione et depreſſa ſimul actione fibrae viuae, quam in irritante, ſita eſt. Optandum ſane eſſet, vt medici fines limitesque euacuationum in acutis probe ſcirent!

De corticis Peruuiani in febribus continuis remittentibus vſu. Cautelas praeſertim enarrat Cl. Vir, quas in exhibendo cortice Peruuiano ipſe obſeruat. Nunquam eum in inflammatoriis (quod probamus) febribus, neque in gaſtricis, neque in primo malignarum ſtadio exhibet, neque in alterius ſtadii primis temporibus, niſi periculum vrgeat, vbi remiſſione durante exhibendus eſt. Nec corticem facile exhibet, ſi ſpaſmus in vaſorum ſyſtemate vrget. Adiungit inſuper illi medicamenta euacuationem ſalutarem futuram aliquo modo promouentia, ſerpentariam, camphoram, *kermes minerale*, *ſquillam*, caet. Vtiliſſimum, quod in hac tractatione ſubitanea, quae rem totam haud complectitur, datur, conſilium id eſt, ne tyrones corticem Peruuianum nimis

nimis large exhibeant: praeſtat enim, ſi in corticis vſu peccari debet, peccare in defectu, quam in exceſſu.

p. 86. *De tepidorum balneorum in continuis vſu.* Expertus eſt (principem hanc medicinam, quae omnibus aliis in continuis efficacia praeſtat, et quam ſaepius cum exoptatiſſimo citiſſimoque ſucceſſu et nos adhibuimus) tam vtilem, vt eam pro praeſtantiſſima ad febres continuas habeat. Euacuatis in febribus ex rheumaticis, gaſtricis et impuris mixtis, quales frequentiſſime apud vulgum occurrunt, ſordibus, ſanguineu detracto, Noſter aegros in balneum tepidum demiſit, neque vllo exemplo vllus effectus balnei nociuus conſtitit. Maximam partem actionis ſalutiferae inde Cl. Vir explicat, quod cutem molliant, et illius ſpiracula reſerent, ſolida relaxent, indeque etiam adſerit, ea in febribus neruoſis maxime iudicari. (At nos ea cum ſucceſſu maximo non in neruoſis ſolum febribus, ſed in omnibus etiam, quarum cauſſa per humorum omnium et totius corporis ſyſtema ſparſa eſt, adhibuimus, in putridis, inflammatoriis, in illis ſcilicet putredini aduerſa, in his emollientia. Effectus, quem praeſtiterint, voto ſemper reſpondit, et quum balnea hactenus tantum adhibita in ſummo febrilium morborum periculo plerumque ſint, in eoque omnia praeſtiterint, quaecunque vel ab efficaciſſima medicina exſpectare licet, ſpes eſt vtique, fore, vt, amiciſſimi huius medicamenti vſu magis peruulgato, princeps lethalitatis in acutis fons, in ſalutem generis humani praefocetur.)

p. 89. *De apoplexia maligna.* Adſeritur, neque tamen experimentis euincitur, dari apoplexiam malignam, quae eandem, quam neruoſae febres, medendi methodum requirat. Exempla repetita id docuiſſe Cl. Vir adſerit: Febres apoplecticae ſoporoſae,

rosae, quae in rei testimonium adducuntur, quoad naturam suam recentioribus incognitae adeo haud fuerunt, vt Noster quidem autumat.

De puerperarum febre. Casus quatuor admodum notabiles puerperarum hac febre defunctarum cum extispiciorum historia enarrantur. In omnibus lymphaticus humor in abdomine profusus naturam morbi prodidit. In singulari casu lac verum ex vteri discissi substantia exprimi potuit. In alio cadauere lac foetidissimum in abdomine obuium HERMBSTAEDT, V. Cl. ad examinandum datum lactis omnes notas exhibuit, nisi quod alcali volatili, facile euoluendo per fixum lixiuiosum salem, gauderet. Exemplum etiam enarratur natae puerperarum febris ab inflammatione a scisso in partus doloribus vteri orificio inducta. — Essentia puerperarum febris in humoribus lacteis, in visceribus abdominalibus, vtero praesertim, accumulatis, quaerenda est. Symptomata talium humorum depositorum semper adesse debent in morbo, cui puerperarum febris nomen competit.

Plures caussae sunt, quae hunc morbum puerperio proprium quasi reddunt, et quum in *purulentorum* (sed non semper *purulenti*, qui deponuntur, humores sunt, vt ipse Auctor fatetur: suetam alias auctori curam in omnibus exacte determinandis atque suo vero nomine indicandis aliquoties hic desiderauimus) humorum accumulatione constat, quaestio iure mouetur, vnde hi humores oriantur, cuiusnam naturae sint, et quid vasa exhalantia ad dilatationem (adeoque *dilatata* esse debent, vt lacteum humorem demittant?) perducat.

Responsio ad has quaestiones satis apta non est. Lympham tamen deponi *posse* ob relaxationem vasorum exhalantium *generalem* (?) ob lympham nimis abundantem, ob praesentem irritantem et spasmos

ſpaſmos concitantem cauſſam, quae moralis et phyſica, in peritonaei adeo inflammatione ſita eſſe poteſt. Hinc plurimae eaeque admodum diuerſae cauſſae ad vnam eandemque materialem facere poſſunt.

p. 109. *De belladonnae effectibus.* Mutitatem perfectam poſt apoplexiam natam radicis belladonnae grana V. ſtatim ſuſtulerunt. Mirabili hoc effectu ductus Noſter eandem medicinam in variis aegrotantibus ſpaſmo, paralyſi, epilepſia affectis tentauit, ſed fruſtra. Epileptici inſultus quidem tam ſatis diu ſiluerunt hac medicina data, aegris adeo quibusdam ex noſocomio dimiſſis, ſed redeunte morbo poſt tres aut quatuor menſes redierunt. Amauroſin etiam a plica Polonica reciſa natam intactam haec medicina reliquit.

p. 112. *Vomitus lethiferi exemplum*, a renibus ſuppurantibus orti.

Vomitus lethiferi a calculis veſiculae felleae inductae exemplum. Nulla penitus, aut pauca tantum ſymptomata hepatis adfecti aderant. Hinc concluſio auctori fuit, calculos in renali ſyſtemate latere. Febre poſtea nata vomitus nulla arte compeſcendus ſiluit, at febris mortem induxit. Cadavere inciſo veſicula fellea calculos cryſtallorum formam habentes exhibuit, quorum analyſin, ab HERMBSTAEDT, V. Cl. inſtitutam ſupra indicavimus.

p. 118. *Rabiei caninae a morſu canis irati inductae exemplum.* Puer poſt morſum canis vehementer irati, non vero rabidi, cuius quippe vita ſine omni rabie, dum haec ſcriberentur, adhuc perſtitit, in veram rabiem incidit, absque tamen aquae metu, rabiesque poſt aliquot dierum interuallum iterum ſiluit. Saepius poſtea malum, antilyſſis, antiſpaſmodicis

et

et anthelminticis licet efficacissimis tentatis, recruduit.

De scabiei aetiologia. Dispositionem quandam cutis necessariam esse (quod sane nemo vnquam mortalium facile negauerit), vt acari scabiei in cute *generentur.* (Nec generantur in initio, sed in contagio tactos propagantur. Non de *generatione*, sed de eo sermo esse debuisset, quod sedem in cute figant ibique multiplicentur acari, quae etiam WICHMANNO mens fuit.) p. 126.

De altera pyretologiae methodicae ab auctore nostro conscriptae *editione.* Vberrime ea enarrantur, quibus altera haec editio locupletata prodiit. Origines etiam systematis febrium, quod condidit, satis copiose enarrantur. p. 128

Sed quae nunc sequitur historia, legentium omnium merito attentionem et dolorem ademti vniuerso orbi hominis et regis maximi mouet, *historia scilicet morbi, quo vir vere immortalis,* FRIDERICUS II. *confectus demum obiit.* Hanc historiam, quae peculiari etiam titulo: p. 152.

Krankheitsgeschichte des höchstseligen Königs von Preussen FRIEDRICHS *des* ZWEYTEN *Majestät, von* CHRISTIAN GOTTLIEB SELLE. *Berlin* 1786. *in* 8. *pagg.* 64.

prodiit, eo diligentius perscribere Noster potuit, quoniam ipse Rex valetudinis suae curam ipsi commiserat. Vt exteri inprimis, ad quos Germanice scripta vix semper perueniunt, etiam sciant, quaenam magnus hic vir fuerit passus, vberiorem paululum huius libelli praeclare scripti et argumenti grauitate praepollentis epitomen exhibere conuenit.

Nondum prouectus aetate Rex ventriculi languorem et sensibilitatem saepe expertus est, ita, vt

vt ſtomachus leui vomitu alimenta ſaepiſſime redderet. Tanta ſemper, appetitu ciborum licet digeſtione perſiſtentibus, inteſtinali tubo erat ſenſibilitas, vt non ſolum ab aliquot rhabarbari granis quater aut quinquies purgaretur, ſed etiam alui fluxibus ſpontaneis, quibus natura, ad leuamen ſui, per totum etiam vltimi morbi decurſum vſa eſt, crebro eſſet obnoxius.

Elapſo aetatis anno XXVIII. arthritide et haemorrhoidum ſymptomatibus vexatus eſt. Arthritis intercedente temporis interuallo quodam regularis euaſit. Haemorrhoidibus tollendis aluina purgatione et euacuantibus opera data eſt.

Aetatis anno XXXVI. hemiplegia correptus eſt, antiphlogiſticae curationi facile cedente, nec poſtea vllo ſymptomate ſe prodente.

Aetatis anno LXXIV. anni 1785. Ianuario menſe Noſtrum Rex conſuluit. Bene ſe habuit, languore tantum et colica ſubinde vexatus non diu perdurantibus. Ipſe Rex haec ſymptomata haemorrhoidibus, Noſter vero detritae ſenio vſuque digeſtionis vi adſcripſit. Vere eiusdem anni arthritidis inſultus lenior humores vix ſatis a peregrina materia liberare viſus, cauſſae futuri morbi partem effecit.

Iunio menſe dum acidulis Egranis ſueto vteretur, ob aluum ab iis non ſatis liberam Noſtrum conſuluit. Obſtructiones viſcerum, praeſertim hepatis, ipſe Rex ſuſpicatus eſt, Noſter vero, languorem organorum digeſtioni inſeruientium ſuſpicatus, rhabarbarinorum vſum et copioſam equitationem ſuaſit, ad ſtagnationes in abdomine praepediendas.

Colicae interea atque alui fluxus copioſe redeuntes Regem in inſignem languorem coniiciebant. Rex, vires decreſcentes accuſans, morbum omni

medica

medica curatione maiorem putabat, Nofter vero fuetam Regi venaefectionem et vomitorii vfum fuafit: metuens vero hanc medicinam Rex, quam audacem quoque COTHENIUS, V. Ill. declarabat, venaefectione adhibita, pilulis ex fagapeno et roborantibus extractis vfus eft.

Pluuiofae tempeftati in Silefia, parum tecto corpore, fe expofuit. Perfrigerium cauffae morbi producendae, augendae contulit, inprimis Rege febriles, quibus vexabatur, motus in itinere partim fupprimente, partim negligente.

Nota nunc Noftro pectoris hydropis et apoplexiae fufpicio admodum augebatur, Rege d. XVIII. Septembris afthmate conuulfiuo correpto, quo tamen vomitoria medicina liberatus eft. Sed ab hoc infultu fatalis morbus initia fua cepit. Dolores enim in articulis nati arthritici fatis indicabant afthma conuulfiuum ab arthritidis materia natum, naturam autem arthritidi producendae non fuffeciffe. Nec extrema vexans articulorum dolor materiem domaffe vifus, morbi mortisque feminium poft fe reliquit. Remanfit molefta tuffis fine fputis plurimis, aucto fimul digeftionis languore.

Suafit Nofter falis mirabilis Glauberi *continuum* vfum, fed refracta dofi, quoniam a fcrupulo vno alui purgatio nata eft. Pituitam fale folutam rheum quinto vel fexto quoque die datum eduxit. Medicamentis ad arthritidem laudatis fpecificis vix fidem nec Rex, nec Nofter adhibuere. Calor ab amaris et conftringentibus quibuscunque auctior in fumme irritabili corpore haemorrhoides ftatim excitauit. Ad fputa promouenda oxymelle fquillitico cum fucceffu vfus eft.

Dyfpnoea fenfim nata magis a circulatione in abdomine praepedita, quam a pectoris vitio oriri vifa, mouit Noftrum, vt praeter *mirabilem falem*,

cuius vſus continuatus eſt, *terram foliatam tartar* cum millefolii extracto et *ſulphuris balſamo* ſuaderet: ſed Rex hoc medicamento parum vſus eſt.

Noctes inquietae. Sudores remiſſuri. Tuſſis, dyſpnoea, auctae. Grauitatis circa diaphragma ſenſus inſignis. Suaſit Noſter ſalis mirabilis Glauberi et rhabarbari continuatum vſum, vt aluus quotidie reſponderet. Veſicatorium ſuris applicatum effecit, vt liberato pectore ſomnus tranquillior eſſet.

Pectoris tamen affectio ex parte etiam ab abdomine nata effecit, vt morbus a laxantibus ſemper leuatus a quacunque indigeſtione exacerbaretur. Finis Noſtro in medendo is erat, vt medicamentis ſimpliciſſimis atque blandiſſimis omnibus excretionibus ſubueniret. Hinc clyſteribus aluus laxata, ſudores matutini thea pota accelerati, veſicatorio ſuppurante humores deriuati, ſputa ſquillitico oxymelle ſoluta, vires bona diaeta inſtauratae ſunt. Aliis medicamentis locus non erat: ipſe enim Rex, quae certum et determinatum effectum non habebant, conſtanter repudiabat.

Grauioris pectoris affectiones metum aſthmatis conuulſiui recurrentis incuſſerunt. COTHENIUS, V. Ill. gummi ammoniacum cum aceto ſcillino, liquorem anodynum mineralem HOFFMANNI et infuſum ad flatus pellendos ſuaſit; ſed haec in vſum vocata non ſunt. Noſter alcalinum vegetabilem fixum ſalem cum ſucco citri ſaturatum ſuaſit, ſed nec ad hanc medicinam ſumendam Rex commoueri poterat.

Februario ineunte languor virium increſcens ſomnusque temulentiam aemulans circulationis in pectore turbatae metum iuſtum incuſſit. Spiritus defecit in lenta etiam ambulatione. Praeceptus noui veſicantis vſus, et ex aſa foetida clyſteres.

Haec

Haec effecere, vt per menſem Rex ſatis bene ſe haberet.

Sed vix diuturnae hae induciae fuerunt. Palpitatio cordis matutina, ſpiritus ſub ambulationis moderamine maximo interceptus, vertigo, pulſus bonus antea fortisque in dyſpnoeae inſultibus ſpaſmo contractus, inordinatus, ſomnus plurimus. Humorum in cauitatibus collectorum metus intenſior. Alterantibus medicamentis vix locus, ob vires deficientes. Leuamen attulere Glauberi mirabilis ſal, rhei puluis, clyſteres ex aſa foetida. Perſtitit tuſſis, ſudore remiſſius fluente. Pedes per diem intumuerunt. Seri ex vlceribus artificialibus fluxus aegre proceſſit. Dyſpnoeae inſultus cum roncho in pectore et oris ſudoribus frigidis iuncti.

Martio menſe congeſtiones verſus caput natae venae ſectionem indicarunt, quae vero inſtituta congeſtiones non leuauit. Tenſiuus in nucha ſenſus apoplexiae metum incuſſit. Natus vero d. XVI. Martii alui fluxus cum torminibus hunc metum diſpulit. Hirudines ano applicatae ſunt. Interne ſal mirabilis cum nitro datus eſt.

Acris autem materia, quae inſigni copia in corpore continebatur, effecit, vt in curando euacuationibus naturalibus promouendis maxime opera daretur. Medicamenta ex ſulphure antimonii aurato, oxymelle ſquillitico, praeſcripta ſunt. Camphoram, quam ad ſudorem promouendum ſuaſit Noſter, Rex recuſauit.

Somnus a tuſſi nocturna turbatus. Languor ſpem renaſcentis arthritici inſultus ancipitem reddidit. Rex erectus et antrorſum flexo corpore paene ſedens cubare tantum potuit. — Siniſtro pedi impoſitum veſicatorium inflammationem intenſam concitauit, tantamque, vt vulnus mox ad ſanationem

 eſſet

eſſet perducendum. — Pulſus poſt meridiem debilis, labia pallida.

Tuſſis ineunte Aprili continens, ſputorum expers, nouum aſthmatis conuulſiui metum incuſſit. Sed remiſere haec paululum, veſicatorio inter ſcapulas poſito. Puluis interne ex antimonii aurato ſulphure, camphora, ſquilla et elaeoſaccharo foeniculi datus eſt. Os autem ſomno durante ſpaſmo diſtentum, pallida vrina, pulſus paruus, languidus aut conuulſiuum aſthma aut hydropem ſignificarunt. Languor increſcens ſpem recuperandae valetudinis omnem ademit.

Is languor laxantium medicinarum vſum interdixit, Rege tamen ad eas ſemper redeunte. — Spaſmi Aprili menſe medio intenſiores. Conatus ad vomitum, congeſtiones ad caput, ſputa ſanguine tincta. Hirudines ano applicatae et diarrhoea ſponte nata leuamen attulerunt. — Suaſit Noſter pilulas ex guaiaci gummi, ſapore, ſulphure aurato et opio, ſed rex eas recuſauit, opium purum cupiens. COTHENIO, V. Ill. in conſilium vocato, pilulae ex ſerpentariae Virginianae radicibus, quaſſiae et caſcarillae extracto et maſſa pilularum de ſtyrace praeſcriptae ſunt, clyſteribus ſimul ex vegetabilibus carminatiuis et roborantibus in vſum vocatis. Equitationem vix tulit Rex. Sputa purulenta, ſaltim a corrupta lympha nata. Rex aut pectoris hydrope, aut oedemate pulmonum certo laborabat.

D. XXVIII. Aprilis febrilis inſultus ſubito natus eſt, qui elapſis aliquot horis ſudore terminabatur. Inde inſigne leuamen, ſed dextrum crus ad genu vſque intumuit. Diarrhoea per octo dies perdurans pituitae bilioſae plurimum eduxit, ſymptomataque pectoris et abdominis tantopere leuauit, vt ipſe Rex ſorte ſua contentus eſſet. Hac etiam non permiſit, vt alui fluxus caſcarillae extracto ſedaretur,

tur, *crisin* eam *subalternam* reputans. Sumsit medium salem, a THEDENIO praeceptum, tartaro vitriolato analogum. Somnus bonus. Sudores moderati nocturni. Appetitus, frigidorum praesertim, permagnus. Durantibus haemorrhoïdalibus motibus acidi in primis viis vestigia.

Ita morbus per trium septimanarum spatium perdurauit. Cessante autem alui fluxu et tumore pedis subsidente, mutata in deterius omnia, tussi increscente, somno cum stupore aucto, viribus magis languentibus, ciborum tamen appetitu persistente.

Iunio mense vtrique pedes intumuerunt, sed sine pectoris leuamine. Pressionis sensus in diaphragmatis regione, decubitus supinus non ferendus, conuulsiones, terrores in somno, os tumidum, splendens, pectoris hydropem praesentem indicarunt. Noua medicamenta adhiberi vix poterant, morbo videlicet insanabili et nulla medicina superando. Hinc Rex in aperientium et laxantium vsu perstitit. — ZIMMERMANNUM vocari iussit.

Febris interea iterum nata, spasmis intercurrentibus. Octauo Iunii die abscessus in dorso sponte natus plurimum leuaminis attulit, ita vt Rex equum conscendere iterum posset. Vlcus mox consolidatum est. Impositum eius loco vesicans vlcus excitauit, quod ad mortem vsque humores profudit. Inde etiam tumor inferiorum articulorum intensior factus est, qui morbum quidem mitigauit, stertorem vero et decumbendi difficultatem non minuit.

Sanguinis sputum d. XXIV. Iunii equitatio induxerat.

Extractum taraxaci ZIMMERMANNUS suasit, quo Rex etiam per temporis quoddam spatium vsus est.

Quarto Iulii die vomitus cum abdomine tumido. Hydropis abdominalis infausta initia, tumore euacuantibus non cedente. Aduocato Nostro, Rex de statu suo certior fieri cupiens, quum intelligeret, se hydrope laborare et lethifero morbo, iussit, vt medicinae vrinam mouentes ipsi praescriberentur et crurum lumborumque cutis incideretur. Bacheri pilulae et pilulae ex squilla cum sapone frustra tentatae sunt. Nec vrinariae viae facile moveri poterant, plurimis humoribus, in sano etiam statu, ad intestina vergentibus. Suasit Noster rhei tincturam cum tartari sale et liquore anodyno, quae incommoda morbi maxime leniit et qua ad mortem vsque Rex vsus est. Articulorum incisionem, a Rege licet vehementer optatam, Noster, ob gangraenae metum, vix permisit.

De acido in ventriculo Rex sensim questus est, quod quum nulli nec absorbenti, nec euacuanti medicinae vellet cedere, nouum arthritidis insultum praesagiit, in tam desperato rerum statu admodum metuendum. Quarto Augusti die erysipelatosus tumor in sinistro crure subito natus est, cuticula simul in vesiculas eleuata, magnam humoris copiam profundentes. Haec inflammatio acorem dispulit, ciborum appetitum, somnum restituit. Spasmi etiam interni penitus remiserunt. Fomentationes antisepticae continuo in vsum vocatae. Humor quotidie ad quartam mensurae partem profluens odorem teterrimum habuit. Rex interea sorte sua satis contentus, spem quandam habuit recuperandae bonae valetudinis, tumore inprimis lumborum et scroti decrescente.

Talis Regis status per IX dies, ab inflammationis initiis fuit. Appetitus ciborum praeter naturam magnus erat. Noctu intra XII et XIII. Augusti diem motus febriles cum turbato somno nati sunt,

ſunt, iique ſequenti nocte recruduerunt. D. XV. Auguſti ad vndecimam vſque matutinam horam ſomnus perdurauit, quo ſuperato rerum ſuarum curam, ſatis attente, ſed vltimam, geſſit. Rediit paululum vigor poſt aluinas euacuationes quasdam. Subito autem vocatus Noſter Regem ſui quidem conſcium vidit, at languidum admodum, ita vt eorum, quae ad imperii ſui curam pertinent, nil perageret. Dum crus deligabatur, doloris ſenſum expertus eſt. Vlcera, doloris licet nullo ſenſu praeſente, cadaueroſum odorem ſparſerunt. Os ſubfloridum, nec oculi ſuetum ſuum vigorem perdiderant. Ad inceſſum etiam potens in ſella conſedit ſomnumque ibi placidum et ſudorem calidum, blandum, expertus eſt.

Remiſſionis hoc eſſe tempus reputans Noſter lethiferam exacerbationem altero demum die inſtare putabat. At Rex, praegreſſa aluina deiectione paene inuoluntaria, de frigore conqueſtus eſt. Hora nona tuſſicula continua cum inſigni ſtertore nata eſt, quae, intercepta ſenſim reſpiratione, hora XVII. Auguſti matutina altera, vitae glorioſiſſime geſtae finem impoſuit.

Conuulſiuum aſthma vitae finem impoſuit, cum quinta febris exacerbatione ingruens. Squilliticum quidem oxymel cum Sinenſi thea et foeniculi aqua ſputorum deceſſum iuuare viſum, ſed vires nimis exhauſtae et oppletum pectus efficaci medicinae locum non dederunt. — Morbus a primo aſthmatis conuulſiui inſultu per vndecim menſes perdurauerat. Omnibus ſuis medicatricibus viribus intenſis quater, bis diarrhoea excitata, bis abſceſſibus inflammatoriis cutaneis natis, natura morbum dirum ſuperare non valuit, corpore ſenio, immenſis laboribus et morbo quippe nimis fracto.

Morbum mortisque periculum Rex aequo animo et ſine metu tulit. Putabat ante vltimae febris inſultum, fore, vt mitior morbus euadat. Nec ſub hac febre mens tam ſerena erat, vt mortis terriculum recte aeſtimare potuiſſet. Nec cum ſtertore iuncta tuſſicula ipſi infrequens fuerat.

p. 358. *De ſale vrinae perlato* PROUSTII, *et de hoc ſale ad phoſphori praeparationem adhibendo.* Duos fuſibiles ſales in vrina contineri MARGGRAFIUS iam docuerat, ſecundi vero vrinae ſalis naturam ignorabat, ſaltim dubitabat, quum ex phoſphoro natum ſit. CLAPROTH, V. Cl. experimentis probauit eum ex phoſphori acido et alcali minerali conflatum eſſe. Phoſphori acidum ex hoc perlato ſale obtinetur, digeſtione ſalis cum vitrioli acido, quod alcali minerali nubit, et cum eo ſalem mirabilem Glauberi conſtituit, phoſphori acidum vero a vinculis ſuis penitus liberat.

III.

IOHANNES KAEMPF, *Fürſtl. Heſſen-Caſſelſchen Oberhofraths und erſten Leibarztes, für Aerzte und Kranke beſtimmte Abhandlung von einer neuen Methode die hartnäckigſten Krankheiten, die ihren Sitz im Unterleibe haben, beſonders die Hypochondrie, ſicher und gründlich zu heilen. Zwote vermehrte und verbeſſerte Auflage, welcher die Beantwortung der dagegen gemachten Einwendungen angehängt iſt. Leipzig, bey Weidmanns Erben und Reich* MDCCLXXXVI. *in gr.* 8. 576 *pagg.* c. tab. aenea.

i. e.

De noua methodo morbos pertinaciſſimos ſedem ſuam in infimo ventre habentes, inprimis

mis malum hypochondriacum, tuto et funditus sanandi. Editio altera auctior et emendatior, cui responsiones ad obiectiones factas adnexae sunt.

Praestantissimi operis et vere secularis, a fido viro et veterano practico profecti, epitomen copiosam in commentariis nostris exhibuimus *). Altera haec editio, priore auctior admodum atque praestantior, plura continet antiquam veramque Illustris auctoris doctrinam partim confirmantia, partim illustrantia. Additae etiam plures morborum historiae efficaciam methodi ab Ill. Auctore commendatae magis confirmant.

Omnia autem, quae huic editioni accessere, exponere hic vix licet, quum plurima eorum pars magis illustrandis atque explicandis dictis ab Ill. viro inseruiat, quam nouas obseruationes cognoscendis abdominalibus morbis inseruientes, aut noua ad medendum praecepta contineat. Nimis enim firma erant, quae Ill. Vir scripserat, et nimis studiose elaborata, quam vt mutari vehementer, aut augeri admodum potuissent. Accessit tamen practicae parti vberior explicatio caussarum, quae efficiunt, vt clysteres viscerales decedant prius, quam convenit.

Hae caussae sequentes sunt: 1) intestini recti p. 234.
nimia irritabilitas et ad spasmos cum sphincteris relaxatione aut ani procidentia iunctos propensio. Expedit hoc in casu clysteres lenientes, antispasmodicos, roborantes iniicere, et quidem ita, vt per singulas horas, matutino tempore, quatuor vnciae ano iniiciantur. Quae praecepta si satis diu obseruantur,

*) Vid. Commentar. nostror. Vol. XXVII. P. I. p. 34.

vantur, ſaepius euenit, vt temporis progreſſu clyſteres perfecte retineantur. Summa tamen neruorum mobilitas, inteſtinalis tubi fere paralyticus, et tamen admodum irritabilis ſtatus ſubinde clyſterum omnium vſum penitus interdixerunt. His etiam, qui manuſtupratione virium magnam partem amiſerunt, clyſteres vix remanent, ob inteſtinalis tubi et vicinarum partium morboſam ſenſibilitatem. Neque hi facile clyſterum viſceralium ope curantur.

2) Vanus iſte, at frequens admodum clyſterum metus efficit, vt vix retineantur.

3) Singularis neruoſi ſyſtematis idioſyncraſia ſaepe efficit, vt et leniſſimi clyſteres vix ferantur. Praeſtat tunc clyſteres maxime blandos efficere, in initiis ſaltim curationis, vbi complures aegri irritantia valde ingredientia, anagallidem, arnicam, caet. vix ferunt. Saepe etiam aceſcens ad clyſterem decoctio, eiusque conſiſtentia, calor, caet. efficiunt, vt clyſteres ſine effectu decedant.

4) Teneſmus a ſanguine haemorrhoidali collecto aut ab acrimonia haemorrhoidali aliisue inductus efficit, vt clyſteres ſaepius decedant. Demulcentia, oleoſa, hic in vſum vocanda, ſanguis ſtagnans educendus, fomenta frigida, ſemicupia adhibenda ſunt, ad ani praeſertim procidentiam neceſſaria. Demulcendo acrimonias ſimarubae cortex plurimum praeſtitit. Annoſi ſubinde infarctus acres dum decedunt, inteſtinalem tubum tantopere irritant, vt ſuetos ſibi antea clyſteres non ferat. Tunc mucilaginoſa, oleoſa iniicere expedit, donec, ſopita irritatione, clyſteres iterum ferantur.

5) Vermes teneſmum et irritationem in inteſtinali tubo excitando clyſteribus retinendis ſaepe obſunt.

6) Laxantes medicinae cum clyſteribus datae efficiunt ſaepe, vt, irritatione concitata in inteſtinali tubo,

tubo, vespertini clysteres remaneant, matutini vero post applicationem mox decedant. Tunc autem matutini clysteres demum applicandi sunt, vbi aeger aluum deposuit.

7) Impura in intestinali tubo materia in fermentationem concitata, pituitae copia abundans a vinculis suis liberatae, flatus, indigestio. Materia infarciens in intestinis tenuibus haerens exitum si molitur, non tamen penitus liberata. Inde saepe efficitur, vt clysteres cum impulsu saepe plurimo decedant, matutini praesertim.

8) Crassorum intestinorum praeternaturalis constitutio. Plicae intestinorum crassorum deorsum vergentes.

9) Modi, quo clysteres scite applicari debent, ignorantia. Clysteris iniiciendi nimia quantitas, vsus nimis repetitus. Clysteres ante aluum depositam applicati. Instrumentorum et machinarum non satis apta structura, caet.

Liber ipse censuras mites admodum vbique expertus est ita vt docti viri perspicaciam auctoris mirarentur admodum, nec in theoria nec in medendi methodo quicquam taxarent. Attamen fuere quidam iique haud infimi subsellii doctores, qui varia, inprimis contra infarctuum existentiam, agendi methodum, caet. dubia mouerent.

Primum est, naturalia forsan quaedam phaenomena pro infarctuum indiciis esse habita. Sed ipse Auctor licet ingenue fateatur, se deceptum seductumque subinde symptomata, aliam caussam morbidam indicantia, pro infarctuum indiciis habuisse, ingenuam tamen et graphicam maxime horum symptomatum in ipso opere picturam exhibuit, vt, si et error in cognoscendis infarctibus locum habere possit, is sane vix admodum frequens existat, in- p. 367.

primis

primis apud eos, qui vſu quodam eo peruenerunt, vt fallacia indicia a veris diſtinguere valeant.

Alterum, quod motum eſt, contra doctrinam Noſtri dubium, in eo conſiſtit, vt partim ipſi infarctus, pituitoſi praeſertim, vix tam frequenter exiſtant, quoniam in cadaueribus tam raro occurrunt, partim autem materies pro infarciente habita decedens non morboſa, ſed a clyſterum irritatione in inteſtinalem tubum deducta et ex muco ſimul, quo inteſtina obducta ſunt, compoſita ſit. Noſter autem vix putat, clyſterem lente roborantem atque diſcutientem tepide applicatum vllas poſſe inducere congeſtiones, quum eas auertat et acrimoniam praeſentem obtundat, tranquillitatem ſtatumque naturalem reſtituat. Obſeruationes etiam, quas Noſter copioſiſſimas profert, probant, clyſteres viſcerales inſignem vſum ſaepe attuliſſe, nunquam vero nocuiſſe, ſi etiam in eorum vſu excederetur admodum. Nec obfuerunt copioſiſſime adhibiti in alui fluxu, quem ſedarunt, concitatis infarctuum deiectionibus, profuerunt ex hypochondriis ſummopere laborantibus, aluo, ſomno et ciborum appetitu reſtitutis, profuere, verbo, omnibus, nocuere nulli, et infarctus pituitoſos dum depulerunt, vix hi infarctus pro talibus habendi ſunt, qui ab ipſis clyſteribus producantur, quod iam ingens infarctuum copia, praegreſſo non admodum frequenti clyſterum vſu reiecta demonſtrat. Ipſa etiam infarctuum decedentium copia, natura, externus habitus, color, cohaeſio, caet. ſatis probant, vix eſſe multa in iis, quae naturam eorum pituitae aut muco naturali ſimilem probent. Raram demum exiſtentiam infarctuum in cadaueribus quod attinet, hi aut breui ante mortem, aut durante morte ſoluuntur, aut vix omnes ab anatomicis obſeruati ſunt, crebris tamen apud eos etiam de eorum praeſentia obſer-

obſeruationibus proſtantibus. Nec in omnibus aegrotis clyſteres viſcerales infarctus pituitoſos educunt: Plures curati et non curati ſunt, clyſteribus copioſiſſime adhibitis nulla infarctuum particula decedente. Hi clyſteres naturalem inteſtinorum mucum deduxiſſent, ſi multa eorum in hunc actio eſſet.

Haec de his cenſuris, quibus dubia paululum p. 388.
theoria Noſtri de infarctibus viſcerum abdominalium reddita eſt, et ad quas Noſter egregie reſpondit, eoque modo, vt ſatis pateat, Noſtrum ſua fidae obſeruationis firmo fundamento innixa protuliſſe, cenſores vero ductos magis theoreticis ratiociniis, quam experientia. Eaque quam parum valeant in omnibus rebus ad practicam medicinam pertinentibus, niſi repetita et vſu confirmata obſeruatio acceſſerit, erroribus innumeris in medicinam a theoreticorum ratiociniis introductis facile probatur.

Alii vero maiori ſtudio ipſam practicam operis partem adgreſſi ſunt. Quae vero protulere, vix ad dubia referenda ſunt; quaeſtiones enim ab iis motae eo magis reſpiciunt, vt Auctor methodum ſuam omni, quae poſſibilis eſt, perſpicuitate exponat, non neglecta harum circumſtantiarum mentione, quibus aut tempus eam adhibendo ſine vtilitate conſumitur, aut noxae manifeſtae ab ipſa medicina adferuntur. Tandem etiam indicia infarctuum depulſorum, et finis adeo curationi imponendi deſiderantur.

Signa infarctuum in viſceribus abdominalibus ſaepe admodum dubia ſunt, et Noſtrum adeo, in cognoſcendis his occultis vitiis licet verſatiſſimum, ſaepius fefellerunt. Hinc etiam quando nulla a clyſteribus viſceralibus vtilitas exſpectari debeat, certe dici non poteſt. Accidit adeo Noſtro, vt curatione in neruorum morbis per plures annos protracta,

tracta, clysteres demum viscerales ad alium finem, intestina humectanda, caet. adhiberentur, vtque clysteribus insignis atrae bilis copia cum aegrotantium magno leuamine educeretur. Si autem dubia in aegrotantibus infarctuum indicia adsunt, aliis indicationibus manifestioribus praesentibus, Noster clysteres viscerales non adhibet, si vero medendi viis per certam indicationem adhibitis omnibus, morbus rebellis persistit, tunc clysteribus in vsum vocatis, tentatur, quid hi valeant, qui saepe ea praestiterunt, quae drastica intensissima vix praestiterant. Si vero decedunt infarctus, vsus eorum continuandus est.

In vsu autem eorum tam diu persistendum est, donec aluus non amplius praeternaturalis sit. Tunc mora quadam interiecta vtplurimum expedit ad clysterum vsum recurrere, vt scilicet regeneratio infarctuum in debilitato intestinali tubo caueatur: quidam enim aegri, eductis licet omnibus, et aluo ad naturae normam penitus respondente, antiqui mali recidiuam passi sunt. Neruorum etiam morbi, licet vtplurimum ab infarctibus viscerum abdominalium pendeant, his decedentibus tamen subinde non curantur, si videlicet neruorum turbae cerebrum insanabili modo perturbarunt. Sic puellam Noster a conuulsionibus quidem epilepticis liberare, at sanare non potuit conuulsiones neruorum noctu redeuntes, sanissimo licet intestinali tubo clysterum vsu reddito. Vbi vero atra bilis aut pituitosi infarctus iam decesserunt, ipsaeque praegressae caussae infarctus praesentes indicant, in clysterum vsu Noster diutissime et pertinacissime persistit. Isque in doctissimo quodam viro lethifer euasit, decedentibus post clysterum vsum infarctibus carnosis praegrandibus aegroque collapsis penitus viribus pereunte.

Ipse

Ipſe autem Noſter horum clyſterum vſu inteſtinalem tubum ſuum ab atra bile liberauit, et quidem ſine vlla valetudinis ſuae noxa per integri anni ſpatium continuato. Hi clyſteres priſtinum inteſtinali tubo et abdominalibus viſceribus vigorem ſanguinique naturalem craſin ſuam penitus reſtituerunt. Alius aeger, continuato per trium annorum ſpatium clyſterum vſu, perfecte conualuit. Continuatus itaque clyſterum vſus rariſſime nocuit, ſaepiſſime commodi plurimum attulit, licet inſanabiliter adfecta inteſtina vix reſtituat, et, niſi maxima cura adhibeatur, neruoſum ſyſtema admodum tenerum delicatumque habentibus ſaepe obſit. Attamen et in hac morboſa mobilitate neruoſi generis clyſteres tepidi ſubfrigidique ſaepe morbum admodum leuarunt, imo ſanarunt, et plus opis attulerunt, quam a curatione roborante et conſtringente vllo modo exſpectari poſſit.

Haec eorum ſumma paene eſt, quibus altera haec doctiſſimi operis editio locupletata prodiit, et quae talia vtique ſunt, vt haec editio priori admodum praeferenda ſit. Plurima enim in priori non ſatis dilucidata in altera hac ſtudioſius expoſita ſunt, acceſſere illi etiam, vt iam exhibita a nobis epitome docet, obſeruationes plurimae, quibus varia ad hanc doctrinam pertinentia admodum illuſtrantur.

Nos autem, qui clyſterum viſceralium vſum in infarctibus varii generis vtiliſſimum experti ſumus, pluresque tractauimus aegros tali infarctu laborantes ab eoque diriſſime excruciatos, confirmata ſaepiſſime ea vidimus, quae Illuſtris et venerabilis Auctor de cognoſcendis et curandis infarctibus protulerat. Attamen, quod vero pace digniſſimi viri dictum eſto, quaedam etiam vidimus, quae clyſterum viſceralium vſum quodam modo infirmare viſa ſunt.

 Fre-

Frequentiam infarctuum, quod attinet, non quidem eſt, quod ab Auctoris ſententia admodum decedamus, quum res ipſa et continuo vſu comprobata atque confirmata obſeruatio eam ſatis probet. Sed quaenam infarctuum ſpecies frequentiſſima ſit, ex noſtra ſententia nondum ſatis expeditum eſt. Pituitoſorum infarctuum frequentiam ſummam Noſter accuſat et atrabilariorum: verum pituita poſt clyſterum viſceralium vſum decedens, licet adfuiſſe tales infarctus in inteſtinali tubo probet, non tamen ſimul probat, praeter pituitoſos, alios non adfuiſſe. Sane ſi infarctus ſanguinei adſunt, ob motum vaſorum, circulationem impeditam, ob viſcerum actionem non probe ſuccedentem, ob debilitatem et languorem partium pituita copioſius generetur neceſſe eſt, licet primarii infarctus ſanguinei, non pituitoſi ſint. Ab eodem fonte etiam atram iſtam bilem, ſeu feculentam ſanguinis materiem generari, cuique perſpicuum eſt, in obſeruandis viſcerum abdominalium morbis vel leuiter verſato. Haec autem atra bilis ſi decedit adhibito clyſterum vſu, infarctus quidem, qui deceſſere, atrabilarii dicendi ſunt, licet principes, ii videlicet, qui atrabilariorum cauſſam conſtituunt, vere ſanguinei exiſtant. Quin ipſa atra bilis ſanguinis vtplurimum aut faex eſt, aut ab ipſo corrupto ſanguine naſcitur, qui ſtagnans corruptusque in vaſis aut in viſcerum abdominalium lateribus demum feculenta forma, aut tali, quae nicotianae puluerem referat, excernitur.

Patet itaque, pituitoſos infarctus pleroſque et atrabilarios ſine ſanguineis haud eſſe, quum a ſanguinis intercepto aut turbato admodum circulo oriantur. Patet etiam, inprimis ſi reputemus, quam exigua adminicula ſanguinis in abdomine circulatio habeat, praeprimis in hominibus ſedentariis,

riis, aut lauta diaeta, intercedente ſimul otioſa vita, vtentibus, et quantopere intercipi turbarique circulatio in abdomine materie peregrina infarcto debeat, hos infarctus, qui globorum lapideorum, carneorum, caet. forma decedunt, cum ſanguineis iunctos eſſe, neque diuerſas iſtas ſpecies a Noſtro memoratas *ſeorſim* in corpore, ſaltim non frequenter dari, raroſque eos eſſe, qui a ſanguineis aut non inducti, aut cum iis non iuncti ſint.

Sanguinei autem infarctus abdominales quum frequentiſſimi ſint, mirati ſumus, eos tam parce a Noſtro eſſe memoratos, theoriamque, quam expoſuit, et curationem fere omnem magis aliis infarctuum generibus, quam vere ſanguineis conuenire. Et hi cognitu non admodum difficiles, ſaltim vix difficiliores aliis, curationem, etiam per efficaciſſimos clyſteres viſcerales admodum difficilem reddunt.

Videtur adeo methodus efficaciſſima Auctoris infarctibus aut mere, aut ex maxima parte ſanguineis vix ſemper conuenire, ſaltim non tam frequenter nec tam efficaciter in vſum vocata. Sanguifera enim vaſa in hominibus praeſertim, quorum fibra admodum tenera, irritabilis, facile in motus concitanda, vaſaque eadem ſunt, ab infarciente ſanguine admodum dilatata, relaxata, ſubinde ab infarctibus acrioribus eroſa, ſaltim eroſioni accedentia et quaſi emollita, et ad ſciſſuram, ſi externa cauſſa intenſior acceſſerit, admodum procliuia, clyſteres reſoluentes, quodam ſaltim modo irritantes, ſtimulantes vix ferent, absque ſciſſura atque notabili interna ſanguinis profuſione, et quidem non infarcientis, ſed ſanguinis ſani corporique neceſſarii, qui ſcilicet ex relaxatis nimis ſubito vaſorum oris profluxerit.

Haec vero omnia augebuntur, ſi continuus, quem ſuadet Noſter, clyſterum viſceralium vſus acceſſerit. Regula eſt in omnium obſtructionum curatione obſeruanda, ſed ſaepiſſime a practicis neglecta, vt vaſis obſtructis, dilatatis, et atonia eodem gradu aucta, quo ab infarctu inducta dilatatio proceſſerit, laborantibus eodem tenore robur et contrahendi vis reddatur, quo dilatans et infarciens materies educitur. Clyſteres vero viſcerales, ſi nimis ſoluunt, impacta vaſa et ab infarciente materia obturata, proderunt quidem, reſoluto eo, quod vaſa infarciit, nocebunt vero ſanguinis vere ſani profuſionem inducendo.

Idque nos aliquoties obſeruauimus. Mulieri tenerae et mobilibus neruis praeditae, quae lochialis fluxus interceptionem a terrore paſſa fuerat, poſtea omnibus ſymptomatibus ſanguineorum infarctuum laboranti, ſanguinem etiam poſt immanes cardialgias vomenti corruptum, piceum, caffeae puluerem referentem, in progreſſu vero inſultus ſatis fluidum, floridum et ſanum, clyſteres viſcerales leniſſimos ex verbaſci floribus, chamomillae florum particula et taraxaci herba et radicibus praecepimus. Res initio ex voto ceſſit, vt etiam infarctus picei egererentur plurimi. Sed dum omnia probe ſuccedere putabam integramque curationem laetus pollicebar, accidit, vt cum infarctibus ſanguis piceus floridusque tanta copia decederet, vt lapſis inſigniter viribus mortis periculum haud exiguum eſſet. Sed inſtauratis paululum viribus exſpectatione, diaeta et medicamentis confortantibus, notisque reſiduorum adhuc infarctuum praeſentibus, clyſteres iidem paene iterum praecepti ſunt et ſubfrigidi quidem, qui vero, motis infarctibus et ſolutis tantam iterum ſanguinis ſani cum infarctibus profuſionem ex inteſtinali tubo excita-

citarunt, vt aegrae paene exſangui et in ſummum iterum periculum conie&tae miſera et ſummis tormentis labefa&tata vita vix reſtitui atque conſervari poſſet.

IV.

Herrn LE PECQ DE LA CLOTURE *Doctors und Professors der Chirurgie bey der mediciniſchen Facultät zu Caen, etc. Anleitung für Aerzte nach Hippocratiſchen Grundſätzen epidemiſche Krankheiten zu beobachten, durch eine Reihe wichtiger Volkskrankheiten erläutert und beſtärkt, welche nach dem Gemälde der Epidemien des Hippokrates ſind entworfen worden. Aus dem Franzöſiſchen. Leipzig in der Weygandſchen Buchhandlung* 1785. 8. 719 *Seiten.*

i. e.

LE PECQ DE LA CLOTURE *), Doct. et Prof. Chirurgiae in Acad. Cadomenſi, Aſſeſſ. Colleg. med. Rothomagenſ. Medici Noſocomii, quod a Deo nomen habet, et med. morborum epidemicorum, Inſtitutio medica, qua ſcribuntur regulae ad bene obſeruandos morbos epidemios ſecundum Hippocratis exemplum, et Obſeruationes ſubiiciuntur. E Gall. verſ. Lipſiae ex bibliopolio Weygandi 1785. 8. 719 pagg.

 Eſt

*) Obſervations ſur les maladies epidemiques, ouvrage redigé d'aprés le tableau des Epidemiques d'Hippocrate, et dans lequel on indique la meilleure methode d'obſerver ce genre des maladies etc. à Paris 1776.

Est hicce libellus vnus ex iis, qui non possunt non placere plurimis. Siue enim ducem spectes, quem secutus est Noster, HIPPOCRATEM, siue argumenti dignitatem, quae talem tamque grauem imitatorem requirebant, siue obseruandi rationem, accurationem et dexteritatem in exprimenda morborum epidemiorum imagine, quam vbiuis ostendit, pauci sunt medici, qui hanc assequantur, nulli, qui superent. Non enim audet Cl. CLOTURE HIPPOCRATEM spernere, vt delirum senem, (id quod multi hodie faciunt, etsi eum ne a limine quidem salutarunt, vel nomen eius scribere sciunt) sed potius, quam bene vetus obseruandi studium naturae consentiat, curate ostendit, et suo ipsius exemplo docet, male sibi consulere, qui nare sine hoc velint. Dolemus ergo, versionem libelli vtilissimi incidisse in manus interpretis operarii, qui omnia ad lucrum refert, ad conscientiam nihil, et etiamsi vtramque linguam, Gallicam et Germanicam, minus bene callet, tamen totus est in corrumpendis libris, nec lectorum habet respectum. Sed videamus, quam fieri potest breuissime, de libri praestantissimi argumento.

p. 1. Praeit *institutio, quomodo et possint, et debeant medici morbos epidemios obseruare, ad exemplum Hippocratis.* Describit Noster breuiter, at vero naturae apposite praecepta obseruandi Hippocratica et paucis ita exprimit, vt obseruemus quique constitutionem aëris, morbos principes eorumque cum aëre consensum, durationem, et exitum, tuncque ordinem dierum decretoriorum item artem praedictio-
p. 14. num inueniamus. Ex his colligitur, curationem febrium naturae deberi, ideoque purgandum esse
p. 18. vel ab initio, si quid turgeat, ergo obseruationem habendam artis basin, et etiamnum reperiri verissi-

ma,

ma, quae ante bis mille annos docuerat Hippocrates. Deinde ſcribit dotes obſeruatoris, inge- p. 27.
nium, patientiam, cum dexteritate copulatam, attentionem, fidem, hisque ſubiicit imaginem artificis, cum morbos epidemios obſeruare audet.
Quo pertinent *pathologicae animaduerſiones*, ad exem- p. 34.
plum diui Hippocratis, *obſeruatio ſignorum*, quae p. 38.
cruditatem, *coctionem*, *criſin et metaſtaſin* indicant, eaque tam certa eſſe dicit, quam quae certiſſima,
vſus exemplis et veterum, et ſui ipſius; *ſigna criſin* p. 66.
antecedentia, *pulſus criticos*, praeſertim BORDENII, quos defendere ſtudet; *dies criticos*, quos, vel adverſariis refragantibus, etiamnum firmos eſſe con-
tendit, immo vero ſubdit *tabulam* eorum, quos p. 86.
ipſe hoc in libro naturae conuenienter litteris conſignarat, et, quam raro morbi acuti diebus non
criticis iudicentur, abunde profitetur; *diaetetices et* p. 89.
pharmaciae ſtudium, *quoad medicamentorum actionem*, quod impenſius commendat, ſed errores me-
dicorum redarguit; *ſectio cadauerum*, quae ſi rite p. 97.
inſtituatur, multum lucis affundere tenebris poteſt,
obſeruationes meteorologicae, quae mire iuuant artem p. 103.
et artificis ingenium, modo caute adhibeantur, et probe cognoſcatur conſtitutio diei cuiusque, tempeſtatum et annorum. Tunc veritas decretorum Hippocraticorum abunde confirmatur, pulſus cri-
tici ἀσφάλεια quinque caſibus oſtenditur, et pro- p. 133.
pria obſeruandi ratio, eaque laudabilis explicatur. p. 140.
Etenim ſemper orditur Noſter ab conſtitutione p. 144.
aëris, deinde ſubiicit topographiam, hiſtoriam morbi epidemici catholicam et ſingularem, eiusque comparationem.

Iam ſequuntur *obſeruationes morborum epide-* p. 153.
miorum a. 1770. Deſcribitur vniuerſe conſtitutio humida et tepida, vnde proueniebant febres bilioſae, poſthaec putridae, tunc vero memoran-

p. 168. tur ſpeciatim *angina catarrhalis cum exanthemate*
p. 176. *rubro*, primum benigna, poſt maligna, *febris catarrhalis et peripneumonia*, quam bene explicat;
p. 218. conferendo veterum et recentiorum placita *de ca-*
p. 246. *tarrho*; *colica conuulſiua*, quae fere bilioſa vel metallica erat, euacuantibus cedebat.

p. 271. Praeceteris memoratu dignus erat *morbus epide-*
p. 330. *mius*, i. e. *febris verminoſa putrida maligna*, non ab natura, ſed mala medicatione talis, cuius fomes latebat in primis viis, h. e. humor bilioſus cum vermibus, qui ſpaſmos et conuulſiones efficiebant. Ceſſabant haec poſt emetica et laxantia illico, ſublatis vermibus, quae et putredinem humorum, et peticularum eruptionem impediebant. Hoc 47. hiſtoriis morbi declaratur.

p. 391. Neque contemnendae videntur *animaduerſiones*
p. 393. *in hunc morbum epidemium*. Multum Noſter ſperat
p. 394. ab vento ſeptentrionali et auſtro, aërem expurgante,
p. 396. contagium et malignitatem negat, et ſymptomata docte explicat, emeticum laudat, venaeſectionem damnat.

p. 412. Similiter deſcribitur, *conſtitutio autumnalis a.* 1770. vnaque *epidemia*, quae municipium *Lou-*
p. 475. *viers* occupauit. Praecedebat *apoplexia catarrhoſa*, et *febris miliaris*, ſequebatur *febris putrida peſtilentialis*, *cum exanthematis copulata*, eaque propter multiplicationem, contagium et mira ſymptomata ſumme periculoſa. Coepit ab nauſea, laſſitudine, anxietate, morſu ad cordis ſcrobiculum, vomitu bilis porraceae, deinde typum febris continuae remittentis oſtendit, inde a die quarto vſque ad ſeptimum increuit, hoc tandem venerunt ſurditas, maculae purpureae, rarius poſtulae, poſt has vero miliare rubrum vel album. Iam vero morbus fieri malignus, et in mortem tranſire viſus. Die 14. erupit ſudor viſcidus, fetidus, anxietatem auferens,

rens, aluus biliosa, interdum inflammatio amygdalarum et palati, bubones. Rarius incidit perfecta et vera crisis. Haec vlterius *obseruationibus* confirmat Noster, et *cogitata* de natura morbi addit, quem putridum, contagiosum, exanthematis stipatum et pestilentialem appellat, et notatione situs loci ceterarumque rerum huc pertinentium clariorem reddit, addendo etiam *specialia momenta*, quibus docetur, contagium minui coeptum esse, cum transportarentur aegri in nosocomium, et quatenus hoc illudue signum bonum vel malum fuerit, explicatur.

p. 498. p. 587. p. 592. p. 603.

Restat *constitutio hiemalis a.* 1770. *quae morbum epidemium carceris continet.* Fiebant passim anasarca, hydrops pectoris, rheumatismus acutus et febris catarrhalis, cachexiae, speciatim vero grassata est *febris maligna putrida contagiosa*, in qua vermes et aphthae, grauitas epigastrii, pressura ventriculi, et odor oris grauis aderant. Noster vero se intra explicationem aphtharum continuit.

p. 628. p. 631. p. 678.

V.

D. SAMUEL GOTTLIEB VOGEL's *Sr. Königl. Majest. von Grossbritannien Hofmedicus, Landphysicus und Garnisonmedicus zu Ratzeburg, Handbuch der practischen Arzneywissenschaft zum Gebrauch für angehende Aerzte. Zwote verbesserte und sehr vermehrte Ausgabe. Erster Theil. Stendal bey Franzen und Grosse* 1785. 8. 444 *Seiten. Zweyter Theil* 1785. 295 *Seiten,* (*ohne die Recepte.*)

i. e.

D. SAMUEL. THEOPHILI VOGEL Reg. Magn. Britann. Med. Aulae, Phys. prouincial. et med. milit.

milit. Ratzeburgens. Compendium medicinae practicae in vsum tyronum medicorum. Editio secunda correcta et multum aucta. P. I. Stendal. apud Franz. et Grosse 1785. 8. 444 pagg. P. II. 1785. 295 pagg. (praeter formulas vtrique parti adiectas.)

Prodiit primum hocce compendium a. 1781.*) placuitque medicis, etsi non ab omni parte absolutum. Iam vero hinc inde plura addidit Noster scitu memoratuque digna, vsus propria aliorumque experientia et scriptis, atque de adiiciendis optimis in quoque morborum genere auctoribus. Fuere tamen, qui multa vulgaria et nota inesse dolerent; Fuere alii, qui alia proferre auderent, prouti iudicia doctorum quorundam esse solent hominum. Sed haec parum ad nos, potius accedamus ad rem. Constat *pars prima* quidem *septem* capitibus. Agitur

p. 1. 1. *De febribus quidem generatim.* Queritur Auctor, quod non liceat semper medicis, rem ipsam, quum bene norunt, curate describere. Adfert ergo potiora momenta.

p. 30. 2. *De febribus intermittentibus.* Nihil omisit, quae ad naturam harum febrium bene intelligendam et curationem spectant. Nec minus memorauit nuper laudata remedia specifica.

p. 177. 3. *De febribus continuis.* Et hic ea congesta sunt, quae medici scire interest.

p. 290. 4. *De febre diaria.* Praeter communia bene docet, febres intermittentes annuas, semestres et menstruas fere huc pertinere, et similiter, vt diariam, esse curandas.

5. *De*

*) V. Comm. nostr. Dec. III. suppl. III. p. 521.

5) *De synocho simplici.* Post definitionem et p. 297.
diuisionem sequitur apta explicatio symptomatum
et curationis via, subiectis, vt moris Nostro est,
potiorum scriptorum nominibus.

6. *De febribus biliosis.* In his videtur potissi- p. 314.
mum sequi STOLLIUM ducem et magistrum, ne-
que male, cum in hoc febrium genere facile prin-
ceps sit, sed non ita, vt caeco impetu ad imitan-
dum deferatur. Prae ceteris explicat innumeras p. 333.
species huc referendas, nisi errare velis, distinguit
tamen ab his *febres pituitosas*, et subdit tandem *fe-* p. 335.
brem flauam Americanam. Inter medicamenta nec p. 338.
oleosa reiicit omnino, et bene describit methodum p. 353.
medendi.

7. *De febribus putridis.* Copiose ac docte per- p. 366.
tractauit, praesertim quoad complicationem, rem
hic maximi momenti reputandam. *Formulae* sunt
fere scopo medici aptae et bonae.

In *altera parte* continentur bina capita, priore
editione iam comprehensa, sed hic loci multum
auctiora, puta

1. *De febribus neruosis.* Has diuidit Noster p. 1.
in lentam, acutam et malignam, et parotides cri- p. 12.
ticas non semper tutas putat, multiplices caussas p. 16.
admittit, curationem perarduam bene docet. p. 23.

2. *De febre rheumatica, et de rheumatismis ge-* p. 42.
neratim. Vtrumque rheumatismum, acutum et
longum, memorat Noster, et febrem ostendit esse p. 49.
inflammatoriam, catarrhalem putridam, reperiri p. 53.
vero purpuratum, scorbuticum, venereum, cancro- p. 61.
sum, scabiosum et verminosum rheumatismum,
deinde subdit species, caussas et discrimen, quod p. 81.
hunc et arthritidem intercedit, item curationem,
variis caussis adaptatam. Noua sunt, quae se-
quuntur.

3. *De*

p. 141. 3. *De febribus lentis et hecticis.* Statuit Noſter, non ſpectanda eſſe varia auctorum nomina, ſed cauſſas, vnde profectae ſunt, easque late percen-
p. 149. ſet, ſine quarum cognitione curatio fieri tuto non
p. 185. poteſt. Prae ceteris ſuadet, ne nimius ſit medi-
p. 189. cus in exhibendo cortice, cum magis obſit, quam
p. 190. proſit, laudat opium, ſed caute datum, GRAFFI-
p. 191. THI medicamentum in medio relinquit, balnea tepida non reprobat, et victum varium commendat.

p. 192. 4. *De febribus catarrhalibus, et de catarrhis in genere.* A ſe inuicem diſtinguit Noſter febrem catarrhalem benignam, inflammatoriam, bilioſam,
p. 199. cuius e familia fuit ea, quae nuper ſub nomine *influenzae epidemicae* increbuit, putridam et lentam neruoſam, et quae cuique reſpondeat medendi via, breuiter apponit.

p. 231. 5. *De febre lactea.* Hanc eſſe profitetur Noſter febrem quotidianam remittentem, eamque qui-
p. 234. dem cum BURSERIO ſententiam non fouet, qua ſecretio lactis excluditur, ſed magis inde fieri putat, nec periculoſam eſſe, vel medicamenta deſi-
p. 246. derare, auerti vero omnium optime cita lactis ſecretione.

p. 248. 6. *De febre puerperarum.* Cum de huius fe-
p. 267. bris natura valde diſputent medici, primum adfert varias ſententias de mali originibus, deinde docet, eam eſſe multiplicem, raro inflammatoriam, ſaepe gaſtricam, ideoque requiri variam curandi rationem, niſi falli et labi velint medici. Hanc vero naturae appoſite, etſi conuenienter, deſcripſit. Poſt *formularum* delectum ſequuntur quaedam *additamenta*, quae pertinent ad febres intermittentes, endemias ex ſiluis caeſis oriundas; quartanam in grauidis cum hydrope iunctam non finiri fere, niſi ab puerperio, varias corticis dari formas, putridis reſiſtere lichena islandicum et ſinapi.

VI.

VI.

Noua acta Regiae Societatis Scientiarum Vpsaliensis. Vol. III. pagg. 300. 4. c. tabb. aen. XIV. 1780. Vol. IV. pagg. 382. 4. 1784. Vpsaliae ap. Io. Edman.

More consueto, ex harum commentationum numero eas tantum indicabimus, quarum argumenta ex historia naturali arteque medica petita sunt.

2. *Renes connati spinaeque dorsi incumbentes*, V. III. auctor ABRAH. BAEK. Praeternaturales coalitiones alii iam commemorarunt auctores, praeter BARTHOLINUM, quem Noster etiam laudat; SANDIFORTIUS inprimis et LIEUTAUD. In eo, quod hoc loco proponitur, exemplo, infimi renum apices inter se conferbuerant; vasa sanguifera et vreteres ren vterque separatim habebat. p. 32.

3. *De Aphtharum sede Obseruationes* IONAE SIDREN. Tribus cadauerum incisionibus ostenditur, aphthas vltra faucium terminos neque in oesophago neque in intestinis nasci, eas non vlcera esse, sed pelliculas, quarum materia, antequam in ore prodeunt, primas vias afficiat, deinde vero per glandulas et vasa oris fauciumque eliminetur et papularum formam induat. p. 36.

4. AD. MURRAY *Descriptio anatomica canalis cuiusdam in interiore substantia corporum ciliarium oculi, nuper obseruati.* Praemittuntur obseruationes nonnullae de tunica choroidea, annulo ciliari, corpore processibusque ciliaribus et iride. Canalem ciliarem, de quo exponit Noster, primus indagauit FEL. FONTANA Florentinus, eumque MURRAYO coram monstrauit, qui deinceps eundem diligen- p. 41.

ligentius in multis tam humanis, quam brutorum oculis perſcrutatus eſt. Cingit autem et peruadit ille canalis ſpatium, quod inter annulum ciliarem et limbum corneae duasque radices corporis ciliaris intercipitur. Tria habet latera, quorum exterius a concaua ſcleroticae facie, alterum poſterius ab annulo ciliari et radice longa corporis ciliaris, tertium denique anterius a radice breui cum iride connexa formatur.

p. 59. 5. TORB. BERGMANN *producta ignis ſubterranei chemice conſiderata.*

p. 137. 6. EIUSDEM *Diſquiſitio chemica de terra gemmarum. De vtraque Diſſertatione* alio loco, cum opuſculorum BERGMANNI Volumen tertium indicaremus, ad lectores retulimus.

p. 171. 7. *Decas plantarum nouarum ex inſulis maris auſtralis transmiſſa a* GEORGIO FORSTERO. Nomina tantum indicabimus. Ex Diandr. monog. Bankſia *Gnidia*, *piloſa*, *proſtrata;* ex Pentandr. Monog. Cinchona *corymbifera;* ex Hexandr. Monog. Gahnia *Procera*; ex Polyandr. monog. Mallococca *crenata;* ex Polyandr. tetrag. Drimys *Winteri*, *axillaris;* ex Gynandr. Diandr. Forſtera ſedifolia; ex Polygamia Monoecia Iſchaemum *murinum.*

p. 187. 8. *Iaſione Capenſis deſcripta et icone illuſtrata a* PETRO IONA BERGIO. Haec ſpecies foliis lineari-lanceolatis ſerratis, ſerraturis ſpinoſis diſtinguitur a I. *montana*, quae foliis linearibus integerrimis praedita eſt.

p. 190. 9. *Tres nouae plantae deſcriptae ab* ANDREA SPARMANN, M. D. Cleome *iuncea*; floribus gynandris octandris, caule fruticoſo, aphyllo. Lepidium *oleraceum*; (ex loco natali) floribus tetrandris, foliis oblongis, ſerratis. Mimoſa *ſimplex*, foliis ſimplicibus, ſeptemneruiis, obouatis.

10. *Kaem-*

10. *Kaempferus illuſtratus a* C. P. THUNBERG. p. 196.
Plantae a Kaempfero in Iaponia collectae, et ſub Iaponicis nominibus deſcriptae ſecundum ſyſtema ſexuale diſpeſcuntur, ſimulque nonnullarum, quas LINNEUS ignorauerat, notae ſpecificae indicantur.

11. *Cuſſonia nouum plantae genus e promontorio* p. 210.
bonae ſpei, deſcriptum ab EODEM. Ad claſſem quintam Syſtem. ſex. eiusque ordinem alterum pertinet. Notas genericas conſtituunt, *inuolucrum nullum, perianthium monophyllum crenatum, ſemen biloculare.* Binae recenſentur ſpecies: C. *thyrſiflora*, foliis quinatis, foliolis ſimplicibus ternatisque, cuneatis, apice dentatis; C. *ſpicata*, foliis ſeptenis: foliolis ſimplicibus ternatisque, lanceolatis, apice ſerratis.

12. ROL. MARTIN *Commentarius de Herniae* p. 225.
ita dictae congenitae ortu et ſede, et de partium corporis foetus, quae ad eius illuſtrationem pertinent, adminiſtratione anatomica indeque emanantibus curationum quibusdam rationibus. Studioſe deſcribitur teſtium iter ex abdomine in ſcrotum, viresque, quibus hac ſola via deſcendere cogitur; dein explicatur ratio et modus, quo fieri poſſit, vt cum teſte aliqua inteſtini vel omenti portio in tunicam vaginalem a peritonaeo ortam decidat, tandem adduntur nonnulla, quae medicum hernias iſtas congenitas curaturum ſcire oportet. Strangulatur nempe hoc ramicis genus non abdominalis annuli anguſtia ſed contractione ſacci vaginalis, quem pondere diſtractum irritari et craſſiorem reddi ideoque valide adſtringi neceſſarium eſt. Circumiacentes partes firmius quoque in hernia congenita, quam in reliquis herniis, inter ſe et cum teſte cohaerent, fibrarumque muſcularium tenſione vehementiores dolores excitant. Hinc fit, vt inteſtina tali modo de-

delapſa aegerrime poſſint in ſedes ſuas naturales reduci. Si tamen aliquando neque ſaccus adſtrictus eſt, neque cum partibus adiacentibus conferbuit, Taxis omnino fieri poteſt, in qua tamen adminiſtranda ſemper eſt cauendum, ne teſtis tollatur, et ne bracheria adhibeantur, quae non poſſent non inſignes moleſtias aegroto creare. Quare, ſi opus eſt cingulo, quod inteſtina in abdomen reducta cohibeat, lintea faſcia, pila munita, ferreis bracheriis longe praeferenda eſt. — Hydrocele vaginalis piriformi inprimis et longiuſcula figura a ſcrotali diſtinguitur.

Diſſertationum mathematicarum, quas hoc volumen habet, titulos tantum enumeramus.

p. 241. 12. *Obſeruationes quaedam Aſtronomicae habitae in Obſeruatorio Stockholmenſi a* PETRO WAR-
p. 248. GENTIN. 14. *Noua Analyſis Aequationum 2di,*
p. 257. *3tii et 4ti gradus a* FRID. MALLET. 15. *De inueniendis orbitis Planetarum et Cometarum, datis tribus radiis vectoribus cum angulis interceptis, ab* ERICO
p. 262. PROSPERIN. 16. *Specimen geometricum methodi inuerſi tangentium a* ZACCH. NORDMARK.

V. IV. 1. *Nouae Inſectorum ſpecies deſcriptae a* C. P.
p. 1. THUNBERG. Definiuntur, Dermeſtes *ſulcatus, feneſtratus, ruber, linearis, ater, bipuſtulatus, faſciatus;* Ptinus *ſerraticornis, teſtaceus, faber;* Hiſter *pulicarius*, Silpha *hiſteroides, biguttata;* Coccinella *pallida, ſexnotata, 13notata, marginata;* Chryſomela *globoſa, cuprea, vndata, bipuſtulata, lens, exclamationis, gibboſa;* Hiſpa *cornuta, ſcabra;* Curculio *Pariſinus;* Leptura *Pariſina, bipuſtulata;* Cantharis *chryſomeloides, caerulocephala, lepturoides;* Dytiſcus *oualis;* Carabus *violaceus, nitidulus;* Cicada *punctata, reticulata, variegata, cincta,*

excla-

exclamationis; Ichneumon *biguttatus*; Sphex *coronata*; Tipula 8 *punctata*, *Parisiensis*; Empis *flavipes*; Oniscus *corallinus*. Horum Insectorum plurima Sueciae, agri inprimis Vpsaliensis, indigena sunt; nonnulla Parisiis reperiuntur.

2. *Curculio Zamiae*, *noua et singularis Insecti speciés e Capite bonae Spei descripta* a. C. P. THUNBERG. Character specificus hic est; C. *longirostris*, *ruber*, *thoracis linea nigra*, *rostro setaceo longissimo* (corpore quadruplo longiori.) p. 29.

3. EIUSDEM *Kaempferus illustratus Sectio secunda*. p. 31.

4. *Obseruationes mineralogicae in India orientali* a IO. GERH. KÖNIG *institutae et societati R. Sc. Vpsal. oblatae* a IO. IAC. FERBER. Describuntur nonnullae Granitis, Porphyritis, Cotis, silicis, calcarei, Schisti, et Ochrae species, ex quibus tamen nulla admodum memorabilis nobis videtur. p. 41.

5. *Commentatio chemica de causa fragilitatis ferri frigidi*, *auctore* TORB. BERGMANN. De hac Dissertatione alibi iam retulimus. p. 51.

6. EIUSDEM *Meditationes de Systemate fossilium naturali*. Has etiam alio loco indicauimus *), vt et sequentem Dissertationem. p. 63.

10. *De Ferro et Stanno igne commixtis*, auctore EODEM. p. 221

11. *Falco Albicilla* a S. ÖDMANN. Albicillam Noster a vulturum genere, quo illam Linneus aliique retulerant, segregat, et Falconibus vindicat, characterem eius specificum his fere verbis complexus: Falco *Albicilla*, cera pedibusque flavis, corpore fusco, cinereo, maculato, vropygio caudaque albis. Adduntur obseruationes nonnullae de huius auis ingenio et viuendi ratione. p. 225.

12. *Musci*

*) Vid. Comment. Nostr. Vol. XXVII. P. III. p. 480.

p. 239. 12. *Musci in Suecia nunc primum reperti et descripti* ab OL. SWARTZ. Recensentur notisque suis definiuntur: Buxbaumia *foliosa*; Splachnum *sphaericum*, *angustatum*, *Mnioides*, Mnium *capillaceum*; Bryum *virens*, *laterale*, *bimum*; Hypnum *Halleri*, *nitens*, *Trichomanoides*, *aquaticum*; Fontinalis *secunda*; Ex Algis, Iungermannia *sertularioides*, *Trichomanis*, *fissa*, *purpurea*, *pulcherrima*; Lichen *rufus*, *Iolithus*, *impressus*, *niger*, *Oederi*, *confluens*, *muscorum sphaerocephalus*, *furfuraceus*, *fuluus*, *lentigerus*, *fulgens*, *flavescens*, *crassus*, *luridus*, *pezizoides*, *brunneus*, *Vlmi*, *frigidus*, *muscicola*, *aculeatus*, *vermicularis*, *tenellus*, *pullus*, *nigrescens*, *granulatus*, *rupestris*, *tenax*, *palmatus*, *marginalis*, *scrobiculatus*, *herbaceus*, *fluviatilis*, *erosus*, *complicatus*, *radiciformis*.

Elenchus Commentationum mathematicarum, quae hoc volumine continentur:

p. 129. 7. *Obseruationes Eclipsium tertii satellitis Iouis, inter se et cum tabulis comparatae* a P. WARGENTIN.

p. 179. 8. D. MELANDERHIELM *Disquisitiones circa Lunae*
p. 252. *theoriam ex principio grauitatis deriuandam.* 9. EIUSD. *Dissertatio de difficultatibus vlteriorem Theoriae lunaris promotionem impedientibus.*

p. 338. Adiecta est huic volumini, *Vita* MARTINI
p. 373. STRÖMER, Astron. Prof. Vpsal. et *Vita* NICOL. ROSEN A ROSENSTEIN. Med. Prof. Vpsal. Archiatri reg. etc. de qua alio loco retulimus.

VII.

Historia et examen chemicum fontium muriaticorum Salzensium, nec non experimenta et cogitationes circa magnesiam, auctore CHRN. GOTTLOB GMELIN. Erlang. 1785. 4.

Eximia haec commentatio auctoris per multorum iam annorum seriem in inquirendo variosque ad vsus adhibendo isto fonte occupati, rubro suo adaequatissime respondet: Praecedunt autem aliqua de historia fontis, qui suum nunc salem ducatus Wirtembergici, in quo scaturit, parti impertitur; anno iam 1383 vestigia eius occurrunt; ast anno demum 1735 aedes percolatoriae (Coradirhaeuser) exstructae, quum syluae vicinae, consumtis quotannis 5000 ligni abiegni orgyis, in dies rariores fierent; arcessitus Dom. DE BEUST, quem tamen incautius fodiendo, dulcibusque aquis ad fontem salsum aditum parando grauissimum et per multos subsequentes annos non refectum damnum intulisse conqueritur Auctor. Inuentus postea nouus fons, qui quamuis singulis horis mensurarum 6000 praebere videri possit, tamen si per horam vltra 4000 hauriantur, salsedine multum imminuitur, quod quidem Auctor ingeniose ex eo derivat, quod paucior haec superstes aqua dulcibus aquis continuo accessuris non resistere amplius possit; inuentus etiam in montibus vicinis sal fossilis, cui subiacent illi fontes. Impetrantur autem coctione ex isto fonte quatuor pondere specifico diversae salis culinaris species; prima ordine pulcerrima, candidissima, purissima, leuissima; quarta sale amaro (procul dubio muriatico) et sale ammoniaco fixo inquinata, solis pecoribus destinata et hinc Vieh-salz nomine distincta. Quatuor etiam p. 2.

iam

iam a 100 fere annis, auctore ciue IO. HEGNEI
terrae (Hallerde) in Suecia et Heluetia cum fruct
ad corrigendum solum adhibitae, potissimum gy
pseae indolis, in ea salis officina veneunt species
altera, virgultis aedium percolatoriarum (quas fu
sius describit Auctor) adhaerens, lixiuio amar
adhuc humectata, et cum terra in fundo istarum
aedium reperiunda mista; altera ex spuma, qua
aquae, dum coquitur, innatat, ex tartaro cacabi
accrescente (*Pfannenstein*) confusa; altera ex calc
et limo furnorum salariorum destructorum, lixiui
amaro humectatis; postrema denique ex lapidibu
gypseis prope salem fossilem erutis, in pulueren
comminutis, et lixiuio amaro pariter madefactis.

p. 11. Ab his transit Auctor ad examen trium illo
p. 12. rum fontium, noui quidem, recentissimi, vetustissi
p. 18. mi. Prior ille destillatione bituminosi aliquid ma
p. 19. nifesto prodidit, et praeter salem, gypsum, terram
que calcaream magnesiae etiam aliquid habet; quum
bituminosa illa materies multum laboris in exco
quendo sale facessat, suadet auctor, ex muria illa ad
siccitatem vsque cocta prius spiritum salis expelli
et ex eo, quod superest, exusto atque in aqua solu
to sal culinare parari, quod satis album nunc pro-
diturum sit; monet etiam, ne, qui vitrioli acido in-
stillato, terrae calcareae in liquoribus praesentiam
experiri tentant, nimis praepropere iudicent, lente
enim non raro et paulatim delabi seleniten. Fons
recentissimus, 1782 demum detectus, gypsi ma-
iorem copiam continet, quam nouus, bituminis
minorem, terrae aequalem. Fons vetustissimus ma-
gnesiam plurimam in se habet, cuius pars vitrioli
acido soluta haeret; ex huius igitur lixiuio residuo
magnesiam suam parat Auctor.

XXVI

Vltimo denique capite magnesiam exagitat Auctor, cuius historia, etsi BERGMANI, SCHEFFERI, BILHUBERI laboribus videri posset exhausta, heic tamen aliqua incrementa cepit; magnesia vsta, aeque ac calce iniecta, non tamen tam vehementer, aquam calefieri; eandem ab oleo vitrioli infuso in flammam exardescere non monuit Auctor, neque experimentum a PELLETIER captum, qui magnesiam aëre fixo praegnantem crystallorum forma indutam vidit. p. 25.

VIII.

IOSEPHI LIEUTAUD, Regis Galliae Archiatrorum Comitis, Historia anatomico-medica, sistens numerosissima cadauerum humanorum extispicia, quibus in apricum venit genuina morborum sedes, horumque referantur caussae, vel patent effectus. Recensuit quondam, et suas obseruationes numero plures adiecit, vberrimumque indicem nosologico ordine concinnauit ANTONIUS PORTAL Doct. Med. et Societ. Reg. Scient. Monspeliens. nec non Anatomes Professor. Recudi iam nunc curauit, correxit et supplementis locupletauit IOANNES CHRIST. TRAUG. SCHLEGEL, Med. atque Chir. Doct. et Med. apud Longosalissenses. Vol. I. Longosalissae impensis Io. Sigism. Zolling 1786. 8. 534 pagg.

Cui non dictum hoc LIEUTAUDII opus praeclarum est, qui post MORGAGNIUM secundas tulit? Hoc, quia ne in Gallia quidem comparari amplius

plius poterat, et tamen vtilitatis ac existimationis summae credebatur, recudi curauit bonis sub auspiciis Cl. SCHLEGEL. Inest liber primus, et finit obs. 1776. quae *flatus extra viscera* sistit. Animus est, tribus voluminibus omnia comprehendere, et huic subiicere quartum e propria penu. Faxit feliciter!

IX.

Obseruationes medicae varii argumenti. Praemittitur methodus examinandi aegros. Edidit IOSEPHUS EYEREL. Sylloge I. Viennae et Lipsiae apud Georg Philipp Wucherer 1786. 8. 70 pagg.

Est Cl. EYEREL vnus ex amicis clarissimi et suauissimi STOLL, et, quos tanto sub duce obseruauit morbos, breuiter, at satis bene describit.

p. 1. Praemittitur *methodus examinandi aegros*, quae quidem, etsi nec noua, nec inaudita continet, tamen eo spectat, vt inde ad magistri praestantiam
p. 8. colligere liceat. Versatur vero Noster in aetate, sexu, patria, domicilio, vitae genere, sanitatis praegressae conditione, epocha morbi, statu aegri praesente, ac remediorum vsu, et quid in quoque fieri debeat rite memorat, addendo speciatim po-
p. 25. tiora de respiratione, tussi, praecordiis, aluo, vrina, pulsu, calore, colore ac exanthematis mo-
p. 33. menta. Inde ducitur *notio directrix*, i. e. notio mor-
p. 35. bi, praesertim ex natura febris stationariae et annuae sumta, et veluti elicita indicatio, in casu du-
p. 37. bio vero *indirecta medendi methodus* sequenda, quae sub auctore Nostro in eo consistit, vt vires nec nimiae sint, nec langueant, egestiones rite fiant, nec sympto-

ſymptoma vllum vehementer vrgeat. Exempli loco adduntur *febris* quaedam mitiſſima, *peripneu-* p. 38.
monia letalis, flatus in febribus neruoſus a depoſitione p. 45.
ad encephalum facta, variae inflammationum thoracis p. 51.
formae, vnde certe tirones poſſunt multum pro- p. 60.
ficere.

X.

D. ERNST SCHWABENS *Anweiſung zu den Pflichten und Geſchäften eines Stadt oder Land-Phyſikus mit einer Vorrede vom Herrn Hofrath* GRUNER. *Erſter Theil. Erfurt bei Ge. Adam Keyſer* 1786. 8. 274 *Seiten.*

i. e.

D. ERNESTI SCHWABE (Medici Ilmenauienſis) Inſtitutio officiorum et actionum phyſici ciuici et prouincialis. Praepoſita eſt praefatio Cl. GRUNERI. P. I. Erfordiae apud G. A. Keyſer 1786. 8. 274 pagg.

Etſi reipublicae et magiſtratui nihil ſanitate publica prius ac antiquius eſſe debet, pauci tamen dantur phyſici, qui et poſſint, et velint bona quaeuis ſuadere, et praeter haec ſcribere praecepta ſciant, quibus continetur omnis phyſici ſcientia. Huic inopiae ſuccurrit Noſter, iunior quidem medicus, nec phyſicus publice conſtitutus, multis tamen, ſi cognitionem materiae ſpectes, longe praeſtantior, quia potiora momenta ſatis bene repetiit. In *praefatione* ſcripſit Cl. GRUNER viuam imaginem virtutum phyſici, quibus inſtructus eſſe debet, ſed haec ſatyrae ſimilior eſt, quia pauci hodie id de ſe dictum putent.

Quod ad libellum ipſum pertinet, abſoluitur 18. capitibus, quae ſtrictim perſequemur.

p. 1. 1. *De officiis phyſici, quoad aërem ſalubrem.* Magni eſt aëris vis in ſanitatem ciuium, ideoque iubet Noſter reſpicere ad loci ſitum, lacus et ſtagna, aedificia et moenia alta, viarum et cloacarum puritatem, coemeteria, patibula et opificia ſordida, et quid ſingulis in caſibus fieri debeat, bene docet.

p. 27. 2. *De aqua potabili.* Inquirit Noſter ſtudioſius in bonitatem aquarum, quae vulgo ad bibendum adhibentur, et quomodo quaeque examinanda ſit, ſuperaddit.

p. 43. 3. *De cereuiſia.* Narrantur notae bonae malaeue cereuiſiae, itemque adulterationis, quae vulgus hominum adhibet.

p. 62. 4. *De vino.* Eius bonitatem Noſter abunde ac praeclare docet.

p. 79. 5. *De ſpiritu vini.* Cum vſus moderatus non adeo ſpernendus ſit, vt multis videtur, praecepta dat abuſus cauendi, praeſertim in tabernis publicis.

p. 91. 6. *De pane bono.* Laudat primum eas plantas, quibus, fame ingruente, veſci licet, (tales, ni fallimur, ſcripſit Cl. WILLEMET) deinde percenſet varios ſecalis morbos, tandem memorat panis boni notas.

p. 103. 7. *De carne bona.* Inquirit in morbos pecorum, et quae caro fugienda ſit, quae ſumenda, refert.

p. 112. 8. *De cura pomorum, vegetabilium, lactis, butyri, caſei et ouorum.* Et in hac materia bonus eſt dux et monitor vir Cl. notas integritatis et corruptionis appellans.

p. 121. 9. *De officio phyſici ſub ingreſſu morborum epidemiorum.* Praecaueri et a finibus ſaepe auerti poſſunt,

ſunt, ſi magiſtratus prouidentia ſuperaccedit. Leguntur ergo cautiones neceſſariae.

10. *De inſtitutione eorum, qui aegris adſunt.* p. 142. Hac in re cum fere vbique vnanimis ſit querimonia, non dari tales homines, ſcribit Noſter regulas, quae in erudiendo et faciendo ſequi debent.

11. *De opificiis, quatenus ad officium phyſici pertinent.* p. 172. Conſtant quaedam opificia tota ſordibus, quibus aër impurus fit, atque ſanitati ciuium aduerſus. Haec certe, quia non poſſumus omnino deprecari, tamen debent cura magiſtratus et phyſicorum fieri minus peſtilentialia.

12. *De cura ſanitatis plebis.* Repetuntur com- p. 179. munia praecepta, et adaptantur plebi, quatenus eius ſcire talia intereſt, ſed deſunt alia, quae nequaquam deſiderari debebant.

13. *De cura pharmacopoliorum.* Narratur ſur- p. 194. dis fabula, quoniam haec praetor non curat, et pharmacopoei doctoris titulo ſuperbientes facile eludunt, praeſertim ſi de taxa quaeritur.

14. *De cura hominum apparente morte oppreſſorum.* p. 208. Hoc vnum ex primis eſt, quod phyſico incumbit, vt id genus hominum adiuuet, velutique ab inferis excitet. Qua ratione quibusue praeſidiis id fieri debeat, Noſter breuiter expreſſit.

15. *De cura pauperum morbis obnoxiorum.* p. 218. Dixerat quondam poeta: *Pauper vbique iacet*, idque cernitur maxime tum, cum aeger eſt. Hunc ſeruare atque ex orci faucibus eripere, phyſici eſt.

16. *De phyſici officio, quoad chirurgos et obſtetrices.* p. 227. Ad viuum exprimuntur fines, quousque progrediantur in arte ſua, et quid in Germania phyſicus conferre poſſit ad impedimenta artis auferenda.

p. 239. 17. *De cura physici, quoad morbos pecorum epidemios.* Sunt pia desideria, memorat tamen Noster luis genera et praesidia.

p. 256. 18. *De officio physici, quoad medicastros.* Pertinet id genus hominum ad physicum, quatenus sanitati publicae praeest.

XI.

An Inquiry how to prevent the Small-Pox and Procedings of a Society for promoting General-Inoculations at stated Periods, and preventing the Natural Small-Pox in Chester, by IOHN HAYGARTH *), M. B. F. R. S. Chester printed by I. Monk for I. Iohnson, No. 72. St. Paul's Church-yard, London, and P. Broster, Chester 1784. 8. 223 pagg.

i. e.

Inuestigatio, quomodo variolae praecaueri debeant, et conamina Societatis, quae promouendae generalis inoculationis certa periodo et cauendarum naturalium variolarum curam Chesterae sibi sumsit, auctore IOANNE HAYGARTH, M. B. F. R. S. Chester apud I. Monk. 1784. 8. 223 pagg.

Cum, qua sit insitio variolarum praestantia et vtilitas, adhuc disceptent ac digladientur medici,

*) IOHN HAYGARTHS *Untersuchung, wie den Blattern zuvor zu kommen sey. Aus dem Englischen übersetzt von Dr.* IOH. FR. LUDW. CAPPEL. *Berlin und Stettin bey Friedrich Nicolai* 1786. 8. 100 *Seiten.*
Recherches sur les moyens de prévenir la petite verole, et procedés d'une Societé etablie à Chester pour rendre l'inoculation generale, par M. DE LA ROCHE, à Paris chez Buissons 1786. 8. 216 pagg.

dici, peropportune venit hicce Cl. HAYGARTH libellus, quo et eius commoda denuo ſtabiliuntur, et inſitionis communis laus praedicatur. Donec enim alter hanc medicinam amplexatur, alter reprobat, fautor vero quocunque tempore artem hanc contagii plenam exercet; et ſic anſam praebet variolis naturalibus, fieri non poteſt, vt ciuibus placere ac prodeſſe poſſit. Aliam vero viam ingreſſus Cl. HAYGARTH, vtrumque et perfecit, et reportauit bonorum plauſum.

Praeit *introductio*, in qua Noſter vniuerſe negat, contagium veſtimentorum ope transferri ad alios, vel caelum loci, vbi graſſantur variolae naturales, eſſe infectum. Idque proprio vſu et experientia ex hominum animis euellere ſtudet. Quod vt eo melius faciat, ipſam ſcribit *inueſtigationem, quomodo variolae praecaueri debeant*, certis paragraphis comprehenſam. p. 3.

1. *Variolae ſunt morbus contagioſus.* Hoc docet inſitio. p. 13.

2. *Variolae inde ab eo tempore, quo primum inciderunt, ab contagio profectae ſunt.* Ad hanc ſententiam comprobandam vtitur vir Cl. communi originum hiſtoria, qua certum eſt, variolas, ſi quam vrbem vel municipium occupant, ſemper aliunde propagatas eſſe contagii miniſterio. p. 13.

3. *Miaſma varioloſum aëris aditu poteſt diſſolui.* p. 17.
Vſus Noſter experimento chemico, quo patet, men- p. 18.
ſtruum poſt cuiusdam materiae ſolutionem fieri p. 20.
pellucidum, abunde docet, variolas propagari ſolo p. 22.
aëre, quem odor ſpecificus prodit, hunc vero, etiamſi miaſmate varioloſo plenum, tamen eſſe pellucidum, ac retinere vim nocendi ac inficiendi. Hoc etiam ab analogia plantarum et animalium certum facit. p. 23.

4. *Sin-*

p. 24. 4. *Singuli homines infectioni expoſiti raro ſalui, i. e. ſine contagio euadunt.* Hoc exemplo mathematico et experientia ſtabiliendum curat.

p. 31. 5. *Spatium, quod infectionem et initium febris varioloſae intercedit, fere inde a ſexto die vſque ad decimum quartum eſt, et idem fere proprium variolis naturalibus eſt.* Primum hoc auctoritate Cl. DIMSDALE probat, deinde nouem caſus memorat, vnde conferendo et comparando ſumtio firma fit. Si forte ſerius eruperunt variolae, dubia eſt obſervatio.

p. 48. 6. *Homines ad recipiendas variolas apti vere inficiuntur, reſpirando aërem infectum.* Fieri hoc ſolet, ſi quis aegris ſub tempore eruptionis ad deſqua-
p. 49. mationem vſque adeſt: (Hoc quinque caſibus illuſtratur) et ſi recens adhuc miaſma eſt (ergo ſuſpe-
p. 59. cta quaeuis cruſtula et variola matura) ſi aërem re-
p. 62. ſpirat, vel veſtimentis, cibis, vtenſilibus aliorum vtitur, ſi miaſmati diu conſeruato exponitur. Neque hic Noſter experientia deſtitutus abit.

p. 67. 7. *Veſtimenta, vtenſilia, alimenta, nunquam aut perraro miaſmati expoſita contagium propagant.* Reſumit Noſter hac ſumtione id, quod antea conceſſerat, et contendit, magis hoc ſpectare ad aërem, minus ad veſtimenta, quia hoc ſit perexiguum, facileque diſſipetur. Refellere hinc ſtudet communem opinionem, medicos et chirurgos hac via nocere poſſe plurimis. (Sunt tamen haec ita comparata, vt multa contra dici poſſint.)

p. 86. 8. *Aër eſt contagioſus quidem, ſed non, niſi loco quodam paullum diſtante ab miaſmate varioloſo.* Demonſtrauit hoc Noſter probabiliter, et obſeruationibus confirmauit, maius eſſe periculum, vbi quis inter miaſma et aërem tranſeuntem eſt.

p. 109. 9. *Miaſma iſthoc praecaueri poteſt, ſi arceantur homines apti ab arctiori conſortio, donec deſtructum fuerit.*

fuerit. Ratio ex ante positis satis clara est, sed hanc ita adhibet Noster, vt vulgarem de ortu variolarum epidemicarum sententiam reprobet, et nec aëris qualitatem, nec corporis constitutionem huc aliquid conferre profiteatur.

Quibus praemissis, redit Noster ad propositum, et aperte docet, *variolas posse omnino auerti, cauendo ab rebus inficientibus.* p. 117.

Scribit ergo *regulas praeseruatorias*, quae huc vnice pertinent, et quomodo a ciuibus acceptae et obseruatae sint. p. 118.

Sequitur *modus, quo Societas vniuerse inseri curauit variolas*, quem possint imitari nostrates medici, et subiiciuntur *quaestiones*, quibus forte dubia diluuntur, nec non *appendix*, qua certiores fiunt lectores ex litteris Cl. WATERHOUSE, iam in America caueri contagium arcendo aegros a sanis. p. 123. p. 135. p. 137.

Finiunt *acta Societatis inoculationi communi fauentis*, quibus quid fecerit, et quomodo cauerit, abunde liquet, et *conclusio lectori dicata*; i. e. concisa veluti repetitio argumenti, vnde possit, quid optatu et factu opus sit, intelligere. p. 147. p. 209.

XII.

Pharmacopée des Pauvres ou Formules des Medicamens les plus usuels dans le traitement des maladies du Peuple, avec l'indication des vertus de ces Medicamens, de la Maniere de les employer, et des Maladies auxquelles ils conviennent. Ouvrage destinè à servir aux Hôpitaux, Maisons de Charité et à toutes Personnes, qui veulent soulager les Pauvres, par M. IADELOT, Professeur de la Faculté de Medecine en l'Université de

de Nancy, Medecin de l'Hôpital St. Charles, Membre de l'Academie et du Collége de Médecine de la même Ville, Associe regnicole de la Societé Royale de Medecine de Paris, et de l'Academie de Dijon. A Nancy, chez H. Haener, imprimeur ordinaire du Roi, Rue St. Dizier No. 337. 1784. 8. 212 pagg.

i. e.

Pharmacopoea pauperum siue Formulae medicamentorum vsitatissimorum in tractatione morborum vulgi vna cum indice virtutum medicamentorum, modi, quo adhiberi debeant, morborum, quibus conueniant. Opus scriptum in vsum nosocomiorum, eorumque hominum, qui prodesse pauperibus volunt, auctore IADELOT, Prof. Med. in Vniuers. Nanceiana, et Medico Nosocom. S. Caroli, Acad. et Colleg. Med. nec non Societ. Med. Paris. et Acad. Diuionens. Sodal. Nanceii apud Haener 1784. 8. 212 pagg.

Si verum est, medici boni primam curam esse debere, vt prosit quam plurimis, laudandum extollendumque putamus Cl. apud Nanceianos medicinae Professorem, IADELOT, quod hoc opusculo perutili ciuium saluti prospicere voluit. Multi enim cupiunt aegros iuuare, sed nesciunt, qua id ratione fieri debeat. Ad hos ergo hoc scriptum pertinet, in quo et delectum formularum mireris, et
p. 1. breuem vsus commemorationem. Insunt *ptisanae*,
p. 10. eaeque obuiae et paratu faciles, *infusiones aquosae*, *decocta*

decocta et *apozemata*, quae a ſe Noſter diſtinguit, p. 16.
ita quidem, vt illa genus, haec vero ſpecies con-
ſtituant, *vina medicata* et *aceta*, quo referuntur p. 27.
oxymel ſcilliticum, *compoſitum* et *colchicum*, *ſpiritus*
Mindereri, *terra fol. tart. liquida*, item *infuſiones* p. 39.
ſpirituoſae, i. e. quaedam elixiria ſtomachica, *potio-* p. 42.
nes emeticae et purgantes, quae mixti ſunt generis, p. 50.
potiones proprie tales, *emulſio*, quae *ſimplex* et p. 64.
anodyna tantum eſt, *Looch*, quae pauca exempla p. 65.
ſiſtit, *pulueres*, in quibus etiam legitur is, qui ex p. 68.
radice Bryoniae conſtat, et quem nuper medicus
quidam, HARMAND DE MONTGARNY, dixit eſſe ſpe-
cificum antidyſentericum, *electuaria*, *opiata* et *boli*, p. 77.
in quibus quaedam ſunt alias non obuia, *pilulae*, p. 90.
quae etiam Bacherianas continent, *lotiones*, *garga-* p. 99.
riſmata, *collyria*, quorum in numero eſt, quod a p. 109.
LANFRANCO nomen habet, ad vlcera venerea p. 111.
aptiſſimum, tandem cetera *remedia externa*, i. e. p. 115.
ſinapiſmi, *emplaſtra*, *vnguenta*, *linimenta*, *fomenta*,
cataplaſmata.

Porro certiores facit lectores Noſter de incendio, quo deflagrauit officina typographica, et addit nouas *obſeruationes de compoſitione medica-* p. 130.
mentorum, *addendo emendationes et additiones*, i. e. ſiſtuntur quaedam formulae nouae vna cum explicatione praeparationis et vtilitatis, quae inter legendum placuerant. Sequitur *tabula formularum* in p. 156.
vſum eorum, qui ſingulas quaerunt, et iterum *ta-* p. 170.
bula quaedam *de actione medicamentorum internorum*, i. e. explicatio terminorum technicorum, iis perquam vtilis et commoda, quibus, etiamſi medicinae theoreticae expertibus, cura aegrorum commiſſa eſt, vt poſſint cauti ac prouidi in eligendo eſſe.

XIII.

XIII.

D. IOHANN FOTHERGILL'S, *der Königl. Geſellſchaft der Aerzte — Sämtliche mediciniſche und philoſophiſche Schriften, nach den neueſten Ausgaben aus dem Engliſchen und Lateiniſchen überſetzt und mit Anmerkungen begleitet. Erſter Band. Altenburg in der Richterſchen Buchhandlung* 1785. 8. 336 *Seiten. Zweeter Band.* 1785. 376 *Seiten.* (5 tabb. aen.)

i. e.

D. IOANNIS FOTHERGILL — Opera omnia medica et philoſophica, ex ſermone Anglico et Latino verſa et animaduerſionibus locupletata. P. I. Altenburgi apud Richterum 1785. 8. 336 pagg. P. II. 1785. 376 pagg. (addit. 5. tabb. aen.)

Non eget laude noſtra b. FOTHERGILL, nec haec collectio commendatione noſtra, cum ſparſim editae hae commentationes, viuo auctore, ſint, ſatis ergo eſt apposuiſſe nomina.

Vol. I. praeter auctoris vitam, continentur diſſ.
p. 22. *de vſu emeticorum*, quae non prorſum ſpernenda
p. 94. eſt; *tabulae meteorologicae a.* 1751 - 54, in quibus
p. 196. nihil deſideres, niſi quod imperfectae ſint; *origines*
p. 202. *ſuccini*, *obſ. de manna*, *de vita hominis apparenter*
p. 211. *mortui aëris inſpiratione reſtituta*, *de rupto dia-*
p. 223. *phragmate*, *obſ. in Siberia factae*, *de angina putri-*
p. 239. *da*, *deſcriptio andrachnes*, *relatio de machina magne-*
p. 323. *tica Knightii.*
p. 6. Alteri volumini inſunt *obſ. de vſu corticis ad glan-*
p. 19. *dulas duras*, *de Gummi Gambienſi*, *Experimenta,*
p. 24. *quomodo olea, reſinae et adipoſae res poſſint aquae*

com-

commiſceri mucilaginis miniſterio, curatio tuſſis con- p. 41.
vulſiuae, obſ. de cicuta, de hydrocephalo, de malo iſchia- p. 47.
tico, de vtilitate maturatae paracenteſeos, quae ceteris p. 60.
palmam praeripuiſſe dicitur, *de hemiplegia*, caſu p. 73.
memorabili illuſtrata, *de obſtructione a fecibus indu-* p. 87.
ratis, quam cortici peruuiano Noſter adſcribit; *de* p. 91.
tabellis mortuorum Londinenſibus, in quibus quaedam
monentur vitia; *de vſu balſamorum ad phthiſin*, quae p. 105.
omnino reprobantur, ſed ſubſtituuntur meliora *de* p. 116.
phthiſeos curatione; *relatio de cortice Winterano, de* p. 150.
morbo faciei doloris pleno, de arbore, vnde terra Ia- p. 164.
panica colligitur, de cura feminarum, vbi menſtruari p. 184.
deſinunt, hiſtoria hydrophobiae, obſeruatio de angina p. 202.
pectoris et *de morbis pictorum, hiſtoria caffeae, vita* p. 234.
Collinſoni et *Alex. Ruſſell.* Finiunt collectionem p. 252.
Fothergillii cogitata de coloniis Americanis, quae ſa- p. 304.
tis declarant, quam bene cognitum habebat homi- p. 346.
num ingenium.

Sunt vero haec commentationum contentarum nomina, quae quidem non placent nouitate, ſed commendatione viri, a quo profecta ſunt. Grata enim eius vel poſteris erit memoria.

XIV.

Frage, woher entſtehen ſo viele Faulfieber? Warum ſind die Frieſelfieber ſo ſelten? Iſt jenen nicht vorzukommen, und wie könnte dieſes geſchehen? Sammt der aus Erfahrungen gezogenen und durch praktiſche Fälle bekräftigten Antwort. Vorgelegt von IOHANN IAKOB WERNISCHEK, *Seiner Hochfürſtlichen Eminenz des Herrn Kardinals und Erzbiſchofs von Wien wirklichen Leibarzt. Wien gedrukt in der K. K. Taubſtummeninſtitutsbuchdruckerey,* 1786. 8. 67. *Seiten.*

i. e.

Quaeſtio, vnde oriuntur tot febres putrid
Cur adeo rarae ſunt febres miliares? Non
illae praecaueri poſſunt, et quomodo hoc fi
poteſt? Adiecta eſt reſponſio ab experien
deducta et caſibus practicis confirmata, auc
re IOANNE IACOBO WERNISCHEK, Emine
Cardinal. et Archiepiſcopi Viennenſis Arc
atro. Viennae, litteris inſtituti ſurdorum
mutorum 1786. 8. 67 pagg.

Conſtat inter omnes, quantopere multo abh
tempore Viennae febres bilioſae aut vere g
ſatae ſint, aut certe graſſari dicerentur. Quicq
enim morborum ibi incidit, erat ex bilioſa fami
cum contra paucis annis ante miliares palmas a
rent. Iam ergo ſubito abiit ad plures febris v
que, et in eius locum ſuccedunt febres putric
eaeque tam dirae, vt nuperrime multos in orc
detruderent. Mirari ergo ſubit, quid ſit, quod
celeritate commutentur ibi febres veteres et ſta
nariae. His curioſis ſciendique cupidis ſcrip
hicce libellus videtur, in quo nec veri ſtudium,
naturae contemplatio, nec digna materiae tract
deſideratur. Poterit vero hac via prodeſſe et e
ris medicis, cum hodie vbique terrarum non de
inepti morborum fabri, per inſcientiam vel imp
Praef. dentiam ſcilicet. Nam ex iis, quae Noſter cu
p. 5. ac probabiliter ſcripſit, abunde colligitur, mu
febrium putridarum, vt vulgus nominat, hoc
men non mereri, neque ſanguinem reſolutum oſ
dere, ergo ne cauſſam quidem eſſe in humor
putredinem ponendam, cauſſas vero, a quibus fel
putridae Viennenſium oriuntur, videri varias
multiplices, contra vero aliquas ex iis deberi a

mor

ıoniae, vnde olim purpura nata erat, immo transi-
um febrium reliquarum in familiam putridam pro-
e caueri posse, ideoque non vnam eandemque me-
endi viam adhibendam videri, nec solis nominibus,
anquam scopulis, adhaerescere licere, quia hac no-
ıinum consectatione nihil peius, nihil calamitosius
eneri humano reputandum sit; solent enim tunc
emporis medici in solo cortice peruuiano, campho-
a, acidis ceterisque antisepticis salutem omnem
onere. Neque rem suam Noster male tuitus est,
roiequendo momenta singula singulis quaestioni-
us. Hinc venit

Quaestio I. *Quinam est ille morbus, quem vulgo* p. 9.
ebrem putridam nominant? Percenset Noster gene-
atim symptomata febris putridae, sed negat, febrem
lam, quam quidam e Viennensibus medicis hoc no-
ıine insigniunt, ita appellandam esse, quia non, vt
eliquae putridarum formae, statim ab initio ingra-
escant et malignitatem ostendant, ergo tantum ob
militudinem quandam posse dici *febrem putridam* p. 12.
enignam, saepius magis ad febrem malignam stricte
ılem referendam videri.

Quaestio II. *A quibus caussis oriuntur febres pu-* p. 13.
ridae nostratium? Negat Noster iure suo, in hisce
ebribus spuriis, de quibus quaeritur, iam sub prin-
ipio adesse quandam humorum putredinem, vnde
omen et forma morbi possit repeti, eaque de re p. 17.
ıaterialem earum caussam videri quandam acrimo-
iam, ab praegresso morbo residuam, vnde, tanquam
b fomite, febris ipsa naturam putridae induat. Ar- p. 19.
uum ergo sub auctore Nostro discrimen est, quia,
quandam acrimoniam sumas, facile intelligitur
ıtio, quomodo possit pars quaedam humorum pu-
edine infici, sanguine immuni. Iam vero hoc omni- p. 20.
us febribus putridis accidit, ergo etiam spuriis
iennensium. Nam in his ea, quae superius addu-

 xerat,

p. 22. xerat, incidunt. Tot ergo dantur febrium putri
rum differentiae, quot cogitari poſſunt acrimon
ſpecificae, a quibus, tanquam fermentis, dimanaru
Fiunt ergo iſtae febres epidemicae ſenſim pedet
timque putridae.

p. 24. Quaeſtio III. *Cur febres putridae noſtratium*
increbreſcunt? Cur adeo pernicioſae ſunt, nihil vt n
gis? Inquirit Noſter copioſius in cauſſas, a q
bus febres iſtae proficiſcantur, et negat, hoc co
p. 25. mutationi aëris deberi, quia eius natura eadem p
p. 26. ſiſtit, neque victus rationi, quia multi parcius vi
re, ac olim, debent; magis vero accuſandum vid
p. 27. neglectum morborum, maxime tamen peruerſ
medendi viam. In ea ergo opinione Noſter
p. 28. quod ſic cruda materia vel non coquitur, vel n
p. 29. expellitur. Illud fieri crebra venaeſectione, met
p. 31. do antiphlogiſtica et refrigeratione externa, q
materiam peccantem magis reprimant, quam exp
p. 32. lant. Quod vbi temere negligitur, non poteſt n
ſequi febris quaedam putrida. Haec quidem prop
vſu et experientia edoctus profitetur, et huc re
p. 34. febres catarrhales ac rheumaticas vernas, in qui
ob neglectam tranſpirationem purpura non ve
dum tamen eius eruptio mala reliqua bene au
runcet.

p. 36. Quaeſtio IIII. *Fierine poteſt, vt iſtae febres*
tridae praecaueantur? Qua ratione hoc conſequim
Quomodo vehementia mitiganda? Reprobat No
et damnat medicamenta putredini aduerſa, ſi ị
miſcue adhibeantur, quia ſaepe plus obſunt, qu
p. 38. proſunt; hinc auctor ſuaſorque eſt, vt, qualis
acrimonia prima, vnde febris ſic dicta putrida
eſt, rite internoſcatur. Quod niſi fit, curatio
poſſibilis eſt. Appellat ergo exempla e praxi
p. 39. Nam vbi materia primis viis inſidet, ab euacuanti
orditur, dein ſubiicit diuretica et leniter acida.

V

vero vitium humoribus ineſt, cortex primas habet, p. 41.
poſt acida et leniter diuretica veniunt. Vbi a corrupto
chylo eſt, prima eſt cruditatis in coctionem muta- p. 43.
tio et expulſio. Vbi ab rheumatica febre proficiſ- p. 46.
citur, tunc febris putrida verna quidem perſimilis
vere putridae eſt, et cedit iis, quae tranſpirationem
cient, vel iuuatur ab purpura veniente. Vbi bilio- p. 48.
ſae indolis eſt, optime iuuat diureſis et acida metho-
dus. Vbi ab inflammatione, exanthemate etc. orta p. 50.
eſt, ſalubris cortex eſt, nec non camphora et acetum.
Vbi atrabilaria eſt, caute adhibenda ſunt reſoluentia p. 52.
vegetabilia, et laxantia leniora.

Quae vt melius influant in legentium animos, p. 57.
addidit Noſter ſeptem obſeruationes. Nec male,
quia via per exempla et breuior, et tutior eſſe ſolet.

XV.

Aphoriſmi de cognoſcendis et curandis febribus. Edidit MAXIMILIANVS STOLL, S. C. R. A. Maieſt. Conſil. Medicinae clinicae Profeſſor P. O. Vindobonae, typis Ioſephi Nobil. de Kurzbek, Caeſ. Reg. Aulae Typ. et Bibliop. 1786. 8. 306 pagg.

Eſt clariſſimus Viennenſium profeſſor, STOLL, vnus ex iis, quem exteri magni faciunt, quia Hippocraticam medendi viam ſine pompa et ampullis verborum ſequitur, magnorum virorum more. Magis placet, quia neminem ſpernit alto ſupercilio vel laceſſit. Aliter agit oppoſita chirurgorum cohors, faſtu ridiculo tumidorum, quae plauſus bonorum non fert ob malam inſtitutionem et inſcientiam magiſtrorum, et tamen, talis cum ſit, peſſime audet cum nobiliſſimos medicos, STOERCKIVM, FERRO, TISSOTVM, GRVNERVM aliosque exagitare,

tare, tum hunc virum, cui nemo ex barbitonſoribu
et chirurgis ſcilicet par eſt, fuit, erit, hinc illinc m
lis verbis diuexare. Stulta et vana eſt gloria, qua
maledictis comparatur.

Magna fama erat, Cl. STOLLII aphoriſmos d
febribus et rei dignitate, et verborum concinnitat
fore inſignes, neque ſpes vana fuit. Etſi enim ſe a
exemplum BOERHAAVII ſummi compoſuit, et qua
hodienum tyronum vſui apta putabat, inde velu
repetiit, tamen ea, quae nuperorum practicorum
diligentia addidit, ſuo quaeque loco reſumſit, me
liora ſubſtituit, falſa correxit, obſcura illuſtrauit, a
hypotheſibus abſtinuit, ordinem alium adhibui
et ſic partes profeſſoris praeclare tuitus eſt. Quan
diuerſus ergo a coryphaeo chirurgorum paullum a
rogantiori, BRAMBILLA, putandus eſt, qui nec ipſi
magiſtris ſcribere pudet leges minutulas, quomod
docere debeant partes, ſolidas et fluidas. Hem
Bellum factum ſcilicet!

Sequamur ergo, quam fieri poteſt breuiſſim
virum clariſſimum. Orditur enim

p. 1. *Febris in genere*, quam eſſe ſtatuit affectionem
p. 2. vitae, conantis mortem auertere, reprobando fig
menta humorum, eumque morbum totius ſubſtan
tiae appellando, communes cauſſas ſtrictim memo
rando, hisque ſuperſtruendo febrium diuiſiones.

p. 6. *Febris ſtationaria.* Eam primam ponit Noſte
quia ceteris febribus et morbis longis dominatur
easque veluti in ſuam poteſtatem redigit; cuiu
vero quae cauſſa proxima ſit, non liquere profitetu

p. 8. *Febres annuae.* In his ponitur febris inflamm
toria, biliosa, pituitoſa et intermittens, varia pro va
rio anni tempore, iubeturque medicus in cura ha
bere rationem febris annuae et ſtationariae.

p. 12. *Febris inflammatoria.* Bene deſcribitur ſynochu

imp

imputris, cum ſimplex, tum compoſita et chronica, deinde ſubiicitur

Febris inflammatoria cum inflammationibus topi- p. 16.
cis, inque his *phrenitis*, quam ab inflammatione ce- p. 17.
rebri repetit; *angina*, quae cum et ſine tumore ex- p. 23.
terno incidit, memorata paullo copioſius *inflamma-* p. 25.
toria, parcius *ſuppuratoria* et *gangraenoſa*, *ſcirrhoſa*,
conuulſiua, et *aquoſa* ſ. *oedematoſa*, quae debetur ſe- p. 33.
cretae ex arteriis lymphae et ad glandulas depoſi- p. 35.
tae, cui ſubeſt *pleuritis humida* ſ. *angina bronchialis*, p. 38.
quae pleuram non occupat, omiſſa ab ſcriptoribus
eſt, et plurima effata veterum ac recentiorum de
pleuritide ſibi propria habet; *peripneumonia vera*, p. 40.
quam bene expreſſit Noſter, quoad exitum varium,
praeſertim futuros abſceſſus, et ſub finem ſubdidit
ſymptomaticae peripneumoniae ſpecies; *pleuritis* p. 58.
et *pleuroperipneumonia latens*, *chronica*, quam *occul-*
tam nominat, ſi febricula lenis eſt, *pleuroperipneu-*
moniam vero, ſi thoracis oppreſſio ſimul adeſt, quam
excipit *pleuritis ſicca*, ſeorſim et egregie conſidera- p. 61.
ta, *paraphrenitis*, diaphragmati propria, et longe p. 78.
frequentior, quam vulgo creditur; *inflammatio me-* p. 80.
diaſtini, *pericardii*, *cordis*, ſed haec paullo contractior,
ac materiae dignitas et difficultas requirit; *hepatitis* p. 81.
et *icterus multiplex*, vbi ſimul monet, infinita ſym-
ptomata, in morbis acutis occurrentia, quae vulgus
medicorum malignitati aſſignat, ab hepate venire;
ventriculi inflammatio et *inteſtinorum*, *nephritis* et *ve-* p. 95.
ſicae vrinariae inflammatio, neglecta ea, quae vterum p. 99.
afficit, omiſſisque complicationibus. p. 109.

Sequitur poſt hunc recenſum

Febris bilioſa, quae inter febres annuas princeps p. 114.
eſt, et fere paraſitica, quia facillime morbis aliis
ſociatur, diuerſis ſub formis ludit, hinc naturae pro-
teiformis, variis ſub nominibus apud veteres et p. 119.

recentiores veniens, et bene ab Noſtro diſtinc
atque diuiſa.

p. 127. *Febris pituitoſa*, quae laxos homines inuadit, variis nominibus comprehenditur, ſolis naturae v ribus exhaurienda, cui fere, vt ſpecies quaedan
p. 130. ſubeſt *peripneumonia notha*.

p. 133. *Febris intermittens*. Hic veterem diuiſionem i *vernam* et *autumnalem* Noſter magni facit, et pr denter recenſet varias formas ac luſus, cauſſam pra diſponentem ignorare ſe profitetur, forte neruinar de contagio peculiari ſubdubitat, methodum m
p. 150. dendi variam bene ſcribit pro re varia, opium la dat in maligna, ſyncopali, mortuali.

Iam tranſitur vlterius, et explicantur

p. 154. *Febres continuae remittentes*, quarum cognit repetenda ex febribus ſimplicibus, nomen vero n nus tutum reputatur. In his numeratur potiſſimu
p. 157. *Febris ardens*, ob frequentiam, diſcrimen, nandi laborem, veluti conflata ex bilioſa et infla matoria, et tertiana; hisque accommodata meden ratio. Agmen claudit
p. 161. *Febris putrida*, cuius ſigna apprime docet N ſter, in medicamentis maxime laudat arnicam.

Quibus praemiſſis, memorantur

p. 174. *Febres epidemicae intercurrentes*, in quibus ſun *Variolae*, ſecundum SYDENHAMVM deſcript ſex ſtadiis comprehenſae, puta contagii, febris, e
p. 177. ptionis, febris maturatoriae, ſuppurationis etc. a
p. 184. nexa *inſitione*, quam prophylaxin ſatis certam et
p. 191. tam Noſter praedicat.

p. 198. *Morbilli*, in quibus diſtinguitur ſtadium con gii, eruptionis, exareſcentiae, commendatur metl
p. 199. dus antiphlogiſtica, non neglecta inſitione.

p. 203. *Scarlatina*, contagio propaganda, alias febr regna

regnantes aemulans, et ſimili modo perſananda; forte inſitione cauenda.

Poſt has ſcribitur

Febris indeterminata, incognita, noua, i. e. docentur regulae, quas ſequi hoc in caſu medicus debeat, ſi quando, quo referat, nouum morbum neſciat. Sunt vero hae ex intimis artis repetitae. Quod vt eo melius perſpiciatur, explicantur *ſymptomata febrilia*, inque his, praeter ſolita, leguntur etiam exanthemata, i. e. miliaria, peticulae, eryſipelas, et aphthae, quas ipſis inteſtinis aſſignat Noſter. p. 208. p. 217.

Reſtant adhuc

Febres ſporadicae et ſingulares, in quibus exempli loco allegatur *febris lactea*, quae et ephemera eſt, et protracta, haec vero ad cardinalem refertur, quoad curationem, vbi Noſter depoſitum lac negat et pus verum defendit, deinde *febris lenta hectica*, bene explicata ſecundum varias cauſſas, et ſubiecta ſpeciatim *phthiſis pulmonalis*, cuius curatoria methodus fere iubetur antiphlogiſtica. p. 281. p. 282. p. 289. p. 300.

Finiunt doctum opuſculum *monita et praecepta*, i. e. quaedam cautiones practicae. p. 310.

XVI.

Auszüge aus den beſten mediciniſchen Probeſchriften der vorigen Jahrhunderte, von CHRISTOPH IACOB MELLIN, *der Arztneygel. Doctor, der Kaiſerl. Acad. der Naturforſcher Mitglied, Phyſicus der Reichsſtadt Kempten. Vierter Theil. Kempten, gedruckt und verlegt von der typographiſchen Geſellſchaft.* 1786. 8. 378 *Seiten* *).

*) Adſcriptus etiam ob mutatum redemtorem alius titulus:

i. e.

Excerpta ex optimis diſputationibus medicis priorum ſeculorum ſumta, auctore CHRISTOPHORO IACOB MELLIN, Med. Doct. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. et Moguntinae Sodali, Ciuitatis Imperialis Campodunenſis Phyſico, P. IV. Campoduni, ſumtibus ſocietatis typographicae 1786. 8. 378 pagg.

Gratum eſt feſſo a practicis theoreticisque laboribus medico, paullulum requieſcere, ac ludendi temporis vel laxamenti cauſſa redire ad veterum maiorumque monimenta, vt, quid et quatenus de medicina bene meruerint, in grabato videamus. Huc valent iſta excerpta, quae ex diſputationibus ſeculi decimi ſeptimi potiſſimum dedit Cl. MELLIN. Inſunt enim hoc volumine quarto argumenta 230. libellorum minorum, breuiter et ſtrictim expreſſa, ſicque prouiſum iis eſt, quibus vetus diſciplina placet. Sed repetere multis, nefas putamus. Satis eſt, nominaſſe.

XVII.

Practiſche Fieberlehre von D. IOHANN CLEMENS TODE, *K. Hofmedicus und Profeſſor an der Univerſität zu Kopenhagen. Erſter Theil. Kopenhagen und Leipzig bey Faber und Nitſchke* 1786. 8. 198 *Seiten.*

i. e.

Practica doctrina de febribus, auctore D. IOANNE CLEM. TODE, Reg. Med. Aul. et Profeſſore Vni-

lus: *Nachleſe von Auszügen aus den beſten alten mediciniſchen Probeſchriften von* CHRISTOPH IACOB MELLIN — *Kempten* 1786.

Vniuerſitat. Havnienſis. P. I. Hauniae et Lipſiae apud Fabrum et Nitſchkium 1786. 8. 198 pagg.

Sunt hodie medici multi, qui theoriae inopiam minuere ac infucare geſtiunt praxin vbique iactando, et nihil aut bonum, aut praeſtans reputando, niſi quod practice agitur, dicitur, ſcribitur. Quorum in numero facile princeps Cl. TODE eſt, cui ſordet theoria, quia eam in iuuentute neglexit, cui diſplicent maiorum ſtudia, quia in his rudis vel male informatus eſt, cui ridiculi videntur homines, qui mutuum theoriae et praxeos conſortium ſtrenue defendunt, et medico cuique perneceſſarium ſtatuunt. Neque vero indignum tali iudice opuſculum eſt, quod nobis indicendum ſumſimus. Quod etſi ſpernendum omnino non eſt, tamen nec noua, nec inaudita, quae antea dicta vel viſa nemini ſint, quidem continet, ſed nota, vulgaria et obuia cuiuis medico, interdum et falſa, ita tamen, vt haec ſuo more, i. e. breuiter ac perſpicue, memoret, ſine vlla teſtium et obſeruatorum nube. Eatenus recte profeſſus (in praefat.) eſt, hunc librum ſuum ipſius eſſe, neque vero negauit, ſe CVLLENVM ſenem in docendo, FORDYCIVM in ordinandis febrium ſymptomatis ſecutum fuiſſe, nequaquam ad verbum exſcripſiſſe. Quaſi vero hoc alii fecerint, quos alta mente repoſtos habet. In verbis ſimus faciles, modo conueniamus in re. Haec enim cum ſcribit, ipſe concedit, ſe quidem anteceſſoribus credidiſſe, ſi decreta bona et vera inueniſſet, ſed ſine honorifica nominis ac loci commemoratione, quod quidem alii faciunt. Quid ergo amplius? Eſt haec de lana caprina diſputatio fere ſuperuacua, niſi velit Cl. TODE cum laruis et vmbris dimicare. Iam videamus de ipſa opella,

la, ad quam ſcribendam, quantum opinamur, allexit
Cl. BURSERII obiectio.

p. 1. Inſunt primae parti *communia praecepta de febre*, et quidem incipit *introductio*, in qua explicatur *notio practicae doctrinae de febribus*, a qua abeſſe iubet
p. 4. Noſter inueſtigationem cauſſae proximae, diuerſitatis epidemiorum morborum, typi febrium intermittentium, vtpote inutilia (?), deinde laudatur dignitas
p. 12. materiae et commendatur coniunctio partis generalis et ſpecialis; (quaſi vero hoc nunquam ab aliis fa-
p. 29. ctum, vel ab profeſſoribus male neglectum ſit) poſt haec ſequitur *ſectio prima*, in qua *deſcriptio febris propriae*, quae pulſu celeri, calore, laſſitudine, functio-
p. 31. num laeſione ponitur; *ſectio ſecunda* ſiſtit *diſtinctionem febris ab aliis morbis*, qua ſeiungi *morbi febriles* et *febres* a ſe inuicem debent, confuſionis vitandae
p. 33. ergo, hinc diſtinguitur *febricitatio* ſ. *pyrexia* a *febre*,
p. 35. illa genus dicitur, haec ſpecies; vlterius explicatur *ſymptomatica pyrexia*, quatenus aliis morbis ſuper-
p. 38. accedit, adduntur *molimina febrilia*, quae ab vtroque
p. 42. diuerſa ſunt, *febres ſymptomaticae*, quae ab alio morbo pendent, *phlogoſes*, quae quidem febrem ſymptomaticam adiunctam habent, neque vero ad febres
p. 48. ipſas pertinent, *exanthemata*, quae maioris in curatione momenti eſſe ſolent, ſub auctore Cl. TODE,
p. 50. quam ipſa febris; *febris localis*, quam ſoli febri intermittenti attribuit *febricitatio ſpuria*, quo referuntur pſeudopyrexia naturalis, vel producta ſtudio ſiue per accidens et ſimulata, calor fugax, congeſtio et febricula hyſterica. Haec quidem praecepta bona per ſe ſunt, neque tamen omni exceptione maiora. Nam quisque morbus cum febre copulatus *febris* dici meretur, ſed quatenus morbi vel prima, vel ſecunda pars eſt, hoc vero medicus bene attendere propter curationis modum debet. Haec etiam cauſſa eſt, quare in exanthematis epidemicis nollemus febrem

brem adeo negligere, vt Cl. TODE visum est, quia in hac maior vis est ad cognoscendum et curandum, quam in solis exanthematis, quia, experientia duce, non satis est, nosse variolas, magis vero, cuius naturae sit febris adiuncta, inflammatoria, an putrida, biliosa, maligna Etiam *febris localis* non soli intermittenti propria est, sed communis ceteris, maxime inflammatoriis, quia haec sine quadam localitate (sit venia verbo!) mente fingi non possunt. Sistit vero

Sectio tertia; Considerationem signorum characteristicorum, siue, vt rectius dicamus, notationem *symptomatum febrilium*, puta horroris, caloris, sudoris, pulsus, lassitudinis, sensus, laesionis functionum, moliminum naturae, et coniunctionis plurium, durationis, decursus et typi, affectionis vniuersi corporis et independentiae febris. Haec quidem breuiter et probabiliter dicuntur, sed ita, vt plura illustrationis ergo, salua notione practica, addi et possent, et deberent. p. 64. p. 74. p. 88. p. 97. p. 102. p. 105. p. 114. p. 118. p. 120. p. 122.

Sequitur *altera pars*, in qua continentur *cetera in febribus accidentia symptomata*, paucis nominata non explicata, et *syndrome symptomatum*, i. e. applicatio praeceptorum ad singulos casus, progrediendo a febre simplici ad compositam, et exemplis illustrando. Hic ergo dantur *spasmus febrilis* et *debilitas*, quomodo sese produnt, et curantur. Medicamenta, quae iubet adhibere Cl. TODE, scopo accommodata sunt, sed cuique medico satis nota. p. 128. p. 131. p. 132. p. 156. p. 185.

XVIII.

Institutionum medicinae practicae, quas auditoribus suis praelegebat IO. BAPT. BVRSERIVS DE KANILFELD, volumen primum, pars prima. De febribus. Praemittitur commentariolum de inflammatione. Mediolani MDCCLXXXV.

MDCCLXXXV. in 8. 347. pagg. Eiusd. volum. pars II. 450 pagg. Lipſ. ap. Gleditſch.

Praeclarum atque vtiliſſimum opus molitus eſt b. BVRSERIVS, amplum quidem atque voluminoſum, attamen vtiliſſimae lectionis, in quo febrium paene omnium origines, cauſſae, ſymptomata, atque medendi ratio praeclare atque ad naturae ipſius normam exponuntur, plurimaeque tam veterum quam recentiorum de febrium differentiis natura, curationibus, caet. opiniones diſcutiuntur, excutiuntur atque ad naturam atque veritatem reducuntur. Ipſe enim b. vir, lectis, quotquot congerere poterat, de febribus tam ſuperioris, quam noſtri aeui auctoribus, diligenter notauit, in quo conuenirent, diſcederentque, ex iisque febrium diuiſionem, natura ſimul, obſeruatione ſedula chaſtoque ratiocinio in vſum vocatis, genera, ſpecies, adſtruxit, quae omnia fuſe in vtiliſſimo hoc libro exponuntur. Omnibus etiam febribus medendi methodus adnexa eſt, ſimplex, efficax, morboque probe accommodata. Nec nimius fuit in medicamentis, nec parcus nimis, „*pharmacorum enim cuiuscunque generis ſiue profuſionem ſiue abuſum ſemper reprobare et vitare conſueuit, paucis, ſed lectiſſimis contentus, naturaeque viribus maxime confiſus.*„

p. 41. Expoſitis celeberrimorum medicorum ab HIPPOCRATIS inde temporibus de inflammatione doctrinis, ſuam Noſter ipſe chaſte profert. Sanguinem in inflammatam partem vberius et vehementius influere, omnia inflammationis ſymptomata probant. Plus autem ſanguinis adferri, quam per venas deferatur, probat modus febrilis ſanguinis intenſior, inflammationis tamen expers. Accidere etiam poteſt, vt ſanguis in partem ita impellatur, vt orificia vaſorum lateralium, vel poros inorganicos vrgeat, dilatet et ſibi in aliena loca vias faciat. Inde vaſa replentur, diſtenduntur,

duntur, et ab his rubor, tensio, tumor, frequentior pulsatio. Calor a phlogisto per actionem et motum intensum euoluto nascitur. Nerui, dum haec omnia fiunt, distrahuntur, diuelluntur, indeque multiplex dolor, punctio. Dolor spasmum excitat, isque pulsus duri, vibrantis, caussam continet. Cordis actio aucta ad inflammationem inducendam non necessaria est, alias quaecunque obstructio febrem concitans inflammationem etiam concitaret. Sanguinem ad partem copiosiorem atque velociorem vocat minor resistentia: praeter hanc vero etiam irritamento in parte opus est, vt inflammatio nascatur. Idque irritamentum efficit, vt arteriae validius velociusque et contrahantur, et laxentur, atque citius solito, et frequentius dato tempore depleantur. Si citius solito deplentur, minus resistentiae influxuro sanguini opponunt, indeque copiosior celeriorque in eas erit, quam in reliquas partes, sanguinis influxus.

Hic stimulus, si peculiarem partem, nec sensibilem valde, nec aliis valde consentientem occupat, et breuis durationis est, eam quidem inflammat, febrem vero non mouet. — Inflammatoria sanguinis constitutio, si inflammationem praecedit, caussa inflammationis, si vero sequitur, effectus eiusdem dicenda est. Natura huius constitutionis in fibrosa et concrescibili sanguinis parte nimis coacta ponitur, atque distinctio vtilissima inter diathesin sanguinis et humorum inflammatoriam, atque inter generalem inflammatoriam diathesin stabilitur. Deinde enarratis inflammationis symptomatibus, diuisione varia, exitu, ad curationem illius transitus est, vbi sueta ad eam auxilia proponuntur, purgantia vero, ad reuellendum, nimis laudantur, quae scilicet ipsa natura, et vniuersum coctionis negotium contraindicat, plurimumque ad malas, praesertim per indurationem affectae partis, terminationes inducendas confert.

Balneis

Balneis e contra tepidis vix ſatis laudis datum, nec epiſpaſticorum, quae alias multum ad ſanationem quidem conferunt, contraindicationes probe expoſitae ſunt.

p. 101. *De febre generatim.* Definitiones veterum atque recentiorum copioſe, paene nimis copioſe, addita vbique cenſura, exponuntur, tandemque dicta etiam iam antea a Cll. viris, videlicet nec in pulſu, nec in calore certum vbique febris indicium eſſe, confirmatur. Ex copioſe enarratis de febrium cauſſa proxima opinionibus auctorum tandem concluſio Noſtro eſt, nullam conſtitui poſſe cauſſam febris proximam, quae ſimul omnibus febribus communis reuera eſſet, indeque etiam febris generalem definitionem dari non poſſe. Breuis etiam et abſoluta generica febris deſcriptio, quae definitionis loco ſit, plurimum difficultatis habet: indeque magni intereſt, ampliorem diligentioremque tradere febris deſcriptionem, quae nunc ſatis fuſe enarratur.

Si vero coniecturae quidam locus eſt, febris natura cauſſaque proxima partim in fluidis, partim in ſolidis corporis noſtri partibus quaerenda eſt: humores enim a naturali blanditie, mixtione, caet. in febre tantopere deſciſcere, vt motus cordis atque arteriarum multiplici modo perturbetur, ſimulque omne fibrarum, tam muſculoſarum, quam neruoſarum, genus ita affici, vt ſpaſticae ac inordinatae quarundam partium contractiones inſolitaeque affectiones inſurgant, admodum credibile eſt. Indeque a motu humorum retardato, inaequali, fibris ſpaſmo contractis, neruea ſenſibilitate irritata, aut alio modo male affecta, febris ſymptomata quaecumque facile explicantur.

p. 150. In curatione febris diligenter explorandum eſt, quando naturae ſoli ſibi videlicet ad exilem cauſſam profligandam ſufficienti, quando vero arti, cauſſa inten-

ntenſiore et laeſione maiore exiſtente, curatio committenda ſit. In omni enim febre curandum eſt, vt motus febrilis nec excedat, nec langueſcat. Hinc ſi moderatus eſt, ſinendus, ſi immoderatus, compeſcendus, ſi torpidus, incitandus, prouti vitae viribus et morbi ſtatui expeditum magis videatur. Quibus omnibus praemiſſis, praeſidia atque medicamenta ad febres generalia, cum cautelis generalioribus enarrantur.

De febrium diuiſione et differentiis. Malignitatis antiquam et non ex omni parte veram explicationem, absque diſcuſſione plurima, retinuit Noſter, malignam febrem eam dicens, quae inſidioſe, ſubdole, ſub benignitatis ſpecie aggrediatur, vires proſternat, neruorum, cordisque actionem laedat, inſolita, morbo repugnantia ſymptomata adiuncta ſibi habeat. Putridum diligenter a maligno diſtinguitur. Vix etiam probatur diuiſio febrium a ſymptomatibus deſumta, nec non ea, quae exanthemata cutanea pro fundamento habet. Differentiae etiam ab HIPPOCRATE, GALENO, aliisque veteribus ſtabilitae Noſtro vix placent, qui a decurſu potius, et recte quidem, depromta diuiſione, eas in continuas et intermittentes diuiſit. Continuae iterum in continentes, et remittentes, hae vero pro exacerbationum periodis, in periodicas, et inordinatas, ſeu compoſitas diuiduntur, vt adeo genera tria ſumma febrilium morborum ſtatuantur, continentes ſcilicet, remittentes atque intermittentes. p. 160.

De febribus intermittentibus. Febrium quintanarum, ſextanarum, nonanarum, caet. exiſtentia, adductis nimis copioſe auctorum teſtimoniis, adſtruitur, neque adeo de trimeſtrium atque annuarum exiſtentia dubitare Noſter videtur. Nimis etiam exilis differentia intermittentium inter erraticas et vagas eſt, illae ſcilicet dicuntur, quae nulli ordini p. 185.

aut typo ſe adſtringunt, hae, quae inter erratica magis adhuc errant, et nullius typi ſimilitudinem retinent. Malignarum intermittentium duae ſpecies ſtatuuntur, altera *comitatarum*, quae etſi quietis interualla, vt benignae, habent, in acceſſionibus vno alteroue maligno ſymptomate ſtipantur, altera *ſubcontinuarum*, quae nullo peculiari ſymptomate, ſed multiplici et vario comitatae, intermiſſione paullatim obſcurata ad continuitatem acutarum modo feſtinanter, modo lente tendunt, extenſis ſcilicet ad intermiſſionis tempus ſymptomatibus grauioribus. Species *comitatarum* ex TORTIO recenſentur. Subcontinuae in vna tantum ſpecie, ad colliquationem aeque ac ad coagulationem pronae conſiſtunt, neque cum benigna alias febre ſubintrante debent confundi.

Aeſtiuo tempore ſubinde febres intermittentes ſtatim cum calore incipiunt. Subinde frigus calori ſuperuenit, nec tunc ſudore abſoluitur acceſſio. — Cauſſa intermittentium proxima obſcuriſſima atque paene impenetrabilis Noſtro eſt. Hoc ſaltim certum eſt, non vnicam, ſed plures febrium intermittentium cauſſas eſſe oportere, et pro varia harum ratione febres ipſas diſcrepare. Videntur quidem omnes ex vna eademque cauſſa proxima promanare, cui ſemper profligandae cortex Peruuianus ſit idoneus: ſed in tantis, quibus haec materia obuoluta eſt, tenebris, nil certi pronuntiandum.

Multis quoque difficultatibus obnoxiae adhuc ſunt intermittentium febrium a bile origines a quibusdam ſtabilitae. Sane ex eo, quod129 biliofos homines acrius vexent, concludere non licet, omnes a bile oriri, neque hepatis obſtructio conſtanter eas antecedit. Homines inſuper ſaniſſimi et malae bilis expertes, ſi in regionem deueniunt, in qua hae febres endemiae ſunt, aut per populum graſſantur,

ſtatim,

ſtatim, ſuppreſſa praeſertim perſpiratione, in intermittentes febres incidunt. In his vero probabile non eſt, bilem breui aut augeri, aut deprauari ita poſſe, vt febrem confeſtim inducat.

Alia eſſe debet in benignis et depuratiuis, alia p. 234. in pernicioſis et corruptiuis curatio. Illae medico non opus habent, in his vero materialis cauſſa expugnanda eſt, aut ſi periculum ſummopere vrget, febris profliganda. Quapropter morbus, ſi a bilioſa ſaburra ortus eſt, euacuantia atque corrigentia bilem, ſi ab acida, alcalina, ſi a phlogiſtica ſanguinis intemperie, venaeſectione, antiphlogiſticis, ſi a muco inerti, reſoluentibus amaris, ſalinis, calefacientibus, potiſſimum curandus eſt. Si ab epidemica cauſſa natus eſt, ad antiſeptica confugere illico (et ſemper?) oportet. Si demum febris intermittens alii morbo ſymptomatis forma accedit, non febrem, ſed primarium morbum, curare expedit. In venaeſectione et purgantibus praecipiendis plurima cautione opus eſt. Purgantia, inprimis fortia, intermittentes febres vix ferunt (Dantur tamen, ſed in Germania haec ſcribo, et in Germano aëre, plures, pituitoſae, a muco inerti oriundae, quae absque forti expurgatione, per ſuperiora praeſertim, expugnari vix poſſunt. Imo leniſſima a Noſtro commendata purgantia, in quibus tamarindi paene efficaciſſima ſunt, etiam mitiori febri expugnandae non ſufficiunt. Si enim expurgandae alui indicatio ſubeſt, et ſordes, quod vtplurimum locum habet, verſus ſuperiora vergunt, ſordibus ad euacuationem praeparatis, vomitum tartaro emetico ciere admodum conuenit. Sed haec in aëre Germano ſcribo, non Italo).

Nec hoc probare poſſumus, quod, expiatis primis viis, *ſtatim* febrifuga ſtricte ſic dicta commendet Noſter. Non enim primas vias leniter lactis

ſero aut tartari cremore purgaſſe ſufficit, ad febrifuga innoxie ferenda: expedit ſaepius, imo in Germania ſaepiſſime, in vſu reſoluentium variae naturae pro varia febris indole paulo diutius inſiſtere, ne ſcilicet praefocata praecociter febris mala vix ſananda inducat. Specifica antifebrilia copioſe, imo, in quam culpam Noſter ſaepius incidit, copioſiſſime, enumerantur, adductis etiam compoſitionibus, cautelis.

p. 258 Cortex Peruuianus elapſo ſaeculo datus melius efficaciusque febres profligauit, quod copioſis illius adulterationibus tribuitur. Hinc doſis quondam parca efficax ad febriles inſultus certo profligandos fuit, hodie vero admodum magna requiritur. Hodie tamen quatuor drachmae aut vnius vnciae tres quartae partes febri benigniori profligandae ſufficiunt. In corruptiuis atque malignis pernicioſis longe maior doſis requiritur. Semper eo reſpiciendum eſt, vt aluum non laxet, eamque ob cauſſam peſſime aegrotantibus ſuis conſulunt, qui corticem purgantibus nubunt, quoniam confeſtim, absque agendi opportunitate, per aluum demittitur. Si purgantibus itaque opus eſt, ea ante corticis vſum danda, durante vero corticis vſu aegri a catharticis prohibendi ſunt. Recidiuae, poſt alia febrifuga etiam communes, non a corticis vſu, ſed potius a cauſſis remotis, quibus febris inducta eſt, perſiſtentibus, aut renouatis, explicandae ſunt, indeque aegri non perfecte vtplurimum reualeſcunt, niſi aërem, regionem, victum, cum ſalubrioribus commutent. Febres intermittentes chronicae, rebelles, vagae, ſi cortici non cedunt, facilius vero aliis medicamentis, aut per ſe datis, aut cortici additis, id ex alia, antiqua labe, quae ſimul perſiſtit, et ob quam febris curari non poteſt, explicandum eſt. Amplius triginta annis hoc paene diuino remedii genere Noſter

Noſter vſus eſt, nec vnquam aut effectu caruiſſe, aut mala poſt ſe reliquiſſe vidit.

Tranſitus nunc ad febres intermittentes ſpe- p. 273.
ciales eſt. Quotidiana ab hyſterica aut hypochondriaca affectione proficiſcens frequentiſſime occurrit, nec non a ſcorbutica affectione naſcens. Secundariae aliae ex primario malo, vnde natae ſunt, proficiſcuntur, (plurimae tamen tales ad lentarum genus pertinere, neque cum intermittente quotidiana communia multa habere videntur. Phthiſicorum febriculam adeo Noſter inter quotidianas recenſet, quae tamen a vero quotidianarum charactere toto coelo diſcedit). Omnis quotidiana febris diuturnitatem affectat, maxime ſecundaria, facileque in lentam degenerat. Minus periculoſa ſcorbutica eſt. Hyſterica cortici vix cedit, ſed aperientibus tonumque lente ſimul inſtaurantibus, ſcorbutica ſuccos vegetabiles recentes, medicatas aquas, lactis ſerum requirit, et chinae cortex antiſcorbuticis miſcendus eſt. Obſtructiones viſcerum infimi ventris ſi febri ſuperueniunt, cortice febris ſtatim compeſcenda eſt. Tumidiſſimi in acceſſionibus lienes detumuere finita acceſſione, corticeque dato omnis perfecte tumor euanuit.

Notha tertiana Noſtro protractior, pertinacior tertiana, e corruptiuarum genere eſt, diu perſiſtens, raro vero in continuam abiens, quae pernicioſa etiam ratione ſymptomatum et maligna facile euadere poteſt. In curatione ad viſcerum habitum maxime reſpiciendum eſt: ſed ſi deobſtruentibus ſatis diu vſurpatis febris non cedit, cortex, ſuperſtitibus etiam obſtructionibus, ad febrem profligandam dandus eſt, quoniam ſuperata febre, quae reſidua ſunt, tutius commodiusque aperientibus profligantur. Icteritius etiam cutis color, ſi datis aperientibus non decedit, corticem Peruuianum iudicat. Ter-

tianarum malignarum breuis deſcriptio et curatio ex TORTIO potiſſimum traditur. Senes ſi ſoporoſa intermittente tertiana corripiuntur, crebro in eundem morbum relabi ſolent, tandemque praecipiti apoplexia exſtingui. Adiunctae etiam ſunt aliae tertianarum anomalarum ſpecies, colica, arthritica, pleuritica, caeca, cum vertiginoſa affectione viſum hebetante coniuncta, ſcorbutica, petechizans, vrticata, ſcarlatina, miliaris, caet.

p. 329. *In quartana notha* omnia acceſſionum ſymptomata diutius trahuntur. Ipſa vero haec febris, medicorum, ante corticem Peruuianum inuentum, opprobrium, nunc eo facile ſubiugari conſueuit, verum lectiſſimo et ſatis magna doſi dato, aucta etiam ſenſim. Subinde, ſi peculiaria humorum vitia ſubſunt, cum ipſo cortice alia medicamenta, cicuta, mercurius dulcis, martialia, caet. danda ſunt. Electricitas etiam ſimul adminiſtrata quartanam diuturnam breui, ſudore ſemper profuſiori excitato, depulit. Oedemata, hydropes, quartanae ſuperuenientes omnes cortice continuato tolluntur.

p. 11. In *altera* primi voluminis *parte* de febribus continentibus agitur. In his proprie nulla remiſſio locum habet, quod tamen non ita accipiendum eſt, quod absque vlla omnino grauioris intenſionis viciſſitudine vſque ad finem procedant. Etſi enim remittentium more ſtato tempore non ingraueſcunt, plerumque tamen alio tempore non nihil deferueſcunt, alio ingraueſcunt. Fomitem in ſanguine habent, aut primarium, aut ſecundarium, vbi ex aliis locis in ſanguinem diſceſſerit. Indeque in primariam et ſecundariam diuiſio nata eſt.

p. 18. Primum in febribus continentibus locum *ephemera* febris habet, vbi de benigna nota alias medicis proponuntur. Deinde ad malignam tranſitus eſt, eam ſcilicet, quae ephemerae decurſum habet, at ſympto-

ſymptomatibus periculoſis ſtipata, plerumque lethifera eſt, ephemerae ſudatoriae Anglicae exemplo, cuius hiſtoria et curatio deſcripta eſt. Sporadica ſudatoria febris rariſſime medicis viſa etiam memoratur. Gangraenoſa ephemera iam ab HIPPOCRATE obſeruata et a Noſtro quoque viſa poſt animi vt plurimum proſtrationem, dolore in vno alteroue articulo nato, aegrotantes inuadit. Auctus poſtea cum febre dolor eryſipelatis ſuſpicionem mouet, deinde ingraueſcente dolore totus articulus intumeſcit, horripilationes intercurrentes naſcuntur, ingraueſcente ſemper dolore, articuloque ſenſim gangraenae imminentis ſigna exhibente. Simul delirium furibundum, pulſus parui, reſpiratio intercepta, anxietas, ſingultus, tandemque praegreſſa aſphyxia, mors. Febris duratio quadraginta circiter horarum eſt. Cauſſa ſaepe in atra bile latet, ſaepe etiam in venenato humore, in corpore paullulum genito euolutoque ac ſubitaneam perniciem afferente. Curatio, ſi vlla locum habet, euacuantibus, ſanguinis miſſionibus, alexipharmacis, maxime autem veſicantibus, perficienda eſt. Ex contagio etiam putrido ephemera maligna quandoque naſcitur. Refert Noſter exemplum virginis, quae poſt adſpectum cadauerum febre putrida exſtinctorum ſtatim temulenta facta eſt, et in ephemeram lethiferam cum pernicioſiſſimis neruoſis ſymptomatibus ſtipatam incidit.

Vera atque perfecta putredo ſanguinem totum corrumpens in viuo homine quum raro (nunquam dixerim, ſi vniuerſalis putredo ſupponitur) occurrat, et ſaepe, vbi corpori inſidet, imperfecta ſit, ea nec in putrida ſynocho praeſens eſſe poteſt. Symptomata enim, hanc febrem comitantia, ſanguinem in putredinem eſſe reſolutum nullo modo oſtendunt, ex parte potius ad inflammatoriam ſpiſſitudi- p. 84.

 nem

nem accedere commonſtrant. Veteres qualemcunque ſanguinis degenerationem inſignem putredinis nomine concipientes et inflammatoriam diatheſin ſubinde pro putredine accipientes, in hunc errorem lapſi ſunt, vt febrem, ad quam etiam antiphlogiſticam medendi methodum atque venaeſectionem commendarunt, pro putrida haberent. Quapropter Noſtro ſynochus putris peculiare febrium genus eſt, continentium more vna propemodum acceſſione, aut obſcuriſſimis remiſſionibus decurſum ſuum abſoluens, inflammatoriae ſanguinis diatheſeos particeps atque grauitate ſymptomatum et longiori duratione a ſynocho imputri et ephemera diuerſum.

Quae ad noſtra vſque tempora maligna dicta febris eſt, ab Anglis non ita pridem *lenta neruoſa* dici coepta eſt. Haec febrem continentem conſtituit diuturnae durationis, a neruoſo ſyſtemate affecto *neruoſa*, et a paſſu retardato *lenta* dicta. Hiſtoria huius febris praeclare ex probatiſſimis auctoribus a Noſtro expoſita legitur. Cauſſam non tantum in ſolidarum partium laxitate cum tenuiore ſanguinis craſi coniuncta, verum etiam in lymphatico latice, copia et lentore peccante, neruos obruente et tandem putreſcente, habere videtur. Inde etiam aquoſis euacuationibus ſimul omnibus, exanthematibus, abſceſſibus, vlceribus, gangraena iudicatur, natura ſcilicet plures ſimul vias eligente, quibus ſe a peregrino acri liberet. Subinde etiam contagioſa eſt, et noſocomiorum famoſa iſta PRINGLII, MONROI febris ad illius claſſem pertinet, cui etiam adſcribendae ſunt nauticae, carcerariae, omneſque febres malignae, quae in hominibus magna copia nimis arcte inter ſe concluſis obſeruantur.

Tam late cum genus neruoſae lentae Illuſtri Auctori pateat, ac latius certe, quam iuſti diuidendorum morborum limites ferre videntur, quum plures

plures ex febribus, quas neruofis adfcribit, non ad neruofam, fed ad putridam malignitatem pertinere videantur, liquet et prognofin, et curationem admodum variam effe debere. Minus vitae periculum fporadica et fpontanea, maius epidemica et contagiofa, maximum nofocomialis, nautica et carceraria infert. Caetera mala figna aut a neruorum affectione intenfa, aut a putrida liquatione ad fupremum gradum progreffa haufta funt.

Sanguis in curatione harum febrium fi detrahi debet, tutius per cucurbitulas et hirudines detrahitur. Si, fanguine educto, capitis dolor et vertigo non remittunt, veficantia pone aures applicanda funt. Purgantia quoque contraindicantur a morbo, et fi indicantur, cautiffime danda funt. Praeftantior emefis, quae longe minus naturam turbat et citiffime (modoque facilius regundo, cohibendo) nociua exterminat. Tartarus emeticus fi eum in finem datur, femper aqua plurima dilutus dandus eft, ne nimis fcilicet intenfe agat. (Haec Italorum et Gallorum confuetudo in tartaro emetico exhibendo aegris faepe admodum perniciofa eft: omnia fane eo redeunt, vt vomitus inducatur, fufficiens, efficaxque expellendis iis, quae expelli debent, et vt per vomitum, non per alui profufionem, quae longe magis debilitat, neque expellendo fufficit, impura materies expellatur. Indeque in medicina vomitum concitante fedulo eo refpiciendum eft, vt vomitum concitet, non aluum, quod vtplurimum fit, fi parva et repetita nimis dofi tartarus vomitorius exhibetur. Indeque vomitus non fufficientes, diarrhoea non leuans, neque morbido euacuando fufficiens, febrilis morbus inordinatus, vniuerfum naturae negotium turbatum, languor, neruofae affectiones, inflammationes, infarctus vifcerum abdomina-

p. 119.

 lium,

lium, mors, a minus caute adminiſtrata hac medicina ſequuntur).

Vis autem irritabilis et neruea cum in hac febre torpeat maxime, nec quid eam potentius veſicantibus excitet, vtilitas ſumma cantharidum externe applicatarum liquet. Reliqua curatio excitantibus, inſtaurantibus, calidioribus medicamentis ex Noſtri mente abſoluenda eſt, maxime tamen ſimplicioribus. Si putredo magna vrget, acidis quidem ſpiritibus humores cogendi ſunt, ſed probe tenendum eſt, *eos vi pollere, qua irritabilitatem cordis atque arteriarum, in hoc malo tantopere iam labefactatam, deſtruunt*, indeque ad ſanguinis tenuitatem corrigendam quidem dandi ſunt, verum ſimul irritabilitati proſpiciendum, quod alexipharmacis acidis adiectis optime perficitur. — Aphthae emollientibus et antiſepticis aquis, quibus fauces eluuntur, cedunt, ſalis praeſertim ſpiritus particula addita. Dolores ex aphthis atrociſſimos ſaturni balſamum illitum ſopiit. Deterſis cruſtis myrrhae liquamen maxime inſeruit. Aquae horror in hoc morbi genere ſymptomaticus emetico dato cedit. Peticulis et miliaribus huic morbo ſuperuenientibus, *ſemper* morbidi quid extrorſum ferri, putat quidem Noſter, medici vero vix crediderint. Duo horum exanthematum genera ſtatuere videtur, alterum, quod naturae, alterum, quod artis male ſanae effectus eſt: ſed tertium quoque ſtatuere debuiſſet exanthematum per morbum naſcentium, ſymptomaticorum, humorum ad liquationem ruentium ſobolem, nulla ſaepe arte, etiam efficaciſſima, reprimendam. Curatio, quam ſuadet, haec eſt, vt quae per naturam producta ſunt, exanthemata, cardiacis lenioribus ſuſtententur, quae vero arte, corrigantur. Ad retropulſa expellentes internae, attrahentes externae medicinae laudantur, camphora languido, moſchus duro et tenſo pulſu exiſten-

existente. Vigilias opio dispellere non semper, ob cerebrum et vitales spiritus affectos, tutum est. Aurium dolor si superuenit, symptomatibus non remittentibus, cerebri grauissime affecti, inflammati, suppurati, metus est. Contra vero salutaris est et abscessum nasciturum indicat. Abscessuum autem ad aures duplex genus est, alterum primarium, alterum secundarium. Secundarii febribus superueniunt vel per *diadochen*, seu materiae morbificae ab ignobiliore parte ad nobiliorem translationem, vel per *epigenesin*, seu morbi propagationem, aut noui symptomatis accessionem. Suppuratio parotidum neque ad morbi iudicationem necessaria est, neque certo iudicationem adfert; aegri enim saepe resolutis parotidibus conualescunt, suppuratis pereunt. Hinc ambiguum generatim ex iis praesagium, hae vero salutares vtplurimum habendae, quae per diadochen fiunt. Si criticae sunt, ad suppurationem perduci debent, si non, ad resolutionem. Symptomaticae parotides sanguine e vena misso efficacissime reprimuntur.— Typhi tandem SAUVAGESII atque CULLENII omnes ad hoc febris genus referuntur.

Hectica febris, quam ad continuas continentes Noster refert, primaria tam rara est, vt dubitare liceat, num vnquam occurrat. Curatio singulis speciebus caussisque accommodata satis fuse enarratur. POTERII antihectico laudes tribuuntur; saturnina medicamenta iure damnantur. p. 152.

A continuis continentibus, sub quibus vero febrium genera longe plura, quam alii censuere, Noster comprehendit, transitus *ad febres continuas remittentes* est, quae medium quasi inter intermittentes atque continentes locum tenent. Verae enim remittentes natura sua ab ipso exordio continuae sunt, et genus quoddam continentium spuriarum constituunt: subcontinuae vero, subintrantes, aliae- p. 166.

ve

ve huius generis ad intermittentes magis, minus, accedunt. Cauſſa in primis viis, glandularum, vaſorum lymphaticorum, aut cellularis telae loculis ſita eſt, quae in ſanguinem infuſa febres et exacerbationes creat. Pro remotarum cauſſarum varietate in varias ſpecies tranſeunt.

Quotidiana continua veterum a pituitae vitiis deducitur, purgantibus (cur non aeque vomitum concitantibus et incidentibus antimonialibus?) incidentibus, caet. ſananda.

Catarrhalis febris fuſe deſcripta eſt, et circa ſanguinis in ea miſſionem ſapientiſſima conſilia a Noſtro tradita leguntur. Et ſane intra Iliacos muros peccatur et extra, dum alii venaeſectionem in quocunque catarrhoſo morbo curationemque ſeueram antiphlogiſticam, alii e contra ſudoriferam ſuadent. Videndum eſt, num ſanguis reuera abundet, aut num aquoſus tantum humor: non enim omnis catarrhus inflammatorius eſt. Cauendum autem generatim ab omnibus in catarrho eſt, quae et nimis commouent, et refrigerant, et mediae temperaturae medicamenta praecipienda.

p. 210. *Febris lacteae puerperarum* cauſſa vniuerſa in lacte irritante non quaeritur, ſed etiam in vteri et abdominalium viſcerum vexis. Contractio praeſertim vteri, ſanguinis circulum mutans, alio determinans, multum ad hanc febrem inducendam confert, multum quoque humores vterini ſtagnatione corrupti, reſorpti per vaſa maiorem vim nacta ad eandem febrem faciunt. Ad lac diſcutiendum arcani duplicati vſus maxime commendatur. Sermo etiam quidam de febre a lactea metaſtaſi et ab vtero inflammato eſt, quae in fine operis copioſius pertractatur.

p. 230. *Acuta gaſtrica febris* a TISSOTO aliisque pro putrida incongrue habita; rectius *gaſtricae* nomine inſigni-

insignitur, quum gastrica cacochylia varias degenerationes admittat, neque putridas omnes. Haec febris semper quotidianae continuae typum seruat atque e remittentium genere est. Coctio in ea nulla locum habet. (quod vero demonstrari debuisset: nulla quidem talis locum habet, quae in continentibus: at locum habet materiae febrilis et in his morbis praeparatio, subactio, excretio, naturae moliminibus debita, arte adiuuanda. Nociuus error, quem et Noster, quod miramur admodum, tuetur, malae curationi per euacuantia protracta, caet. ansam dedit, plurimisque aegris funestus fuit). De sordium ad euacuationem praeparatione Nostro sermo non est, necessaria tamen. Olei etiam vsus tam ad vomitum, quam ad irritabilitatem nimiam intestinalis tubi minuendam, praecipitur Italorum more, qui, quod laudamus admodum, in Germania nondum inualuit. Si enim, vti quidem praecipit Noster, optimum oleum quoque est et blandum maxime, non solum a rancore, praesentibus acribus sordibus saepe subitaneo, verum a relaxatione etiam noxae plurimae metuendae sunt. Olei sane vsui defendendo in febribus gastricis Noster operam plurimam eamque admodum improbam dat, ab eo etiam, dum rancescit in primis viis, opem exspectans, neque tunc resorberi posse adserens, sed ab inhalantibus vasis irritabilibus repudiari. Taxandus etiam Noster in eo est, quod in initiis gastricarum acida mineralia ac vegetabilia promiscue commendet: illis enim in progressu morbi, si cogendi humores sunt, his in initiis, si biliosa materies resolvenda, incidenda, ad coctionem perducenda est, morbi natura generatim indiget. In eo etiam deliquit, quod circa acidorum ad gastricas febres vsum generatim plurima omiserit dictu alias tyronibus vtilissima. Neque mineralium naturam probe intelligere

telligere videtur, dulcificata cum ſimplicibus ſaepius, etiam §. CCCXCVII. confundens et, vt alterum alteri ſubſtituatur, praecipiens. Sane non opus copioſis iſtis fuiſſet, quibus exploſus iſte fixus aër, analepticorum, cardiacorum, choccoladae, opii vſus ad has febres illuſtratur: magis tyronibus conſuluiſſet Noſter, ſi medendi methodum, quae cauſſae obeſt, curatius atque copioſius enarraſſet. Magni etiam momenti iſtud gaſtricarum ſymptoma, viſcerum inflammatio, non tali modo, prouti rei dignitas meretur, pertractatum eſt: tetigit quidem rem, inflammationem talibus febribus adiunctam in inflammatoriam veram atque cum atonia iunctam diuidens: haec vero etiam fere omnia ſunt, quae circa frequentiſſimum hoc epigenomenon in gaſtricis protulit, quod tamen tam arduum cognitu, ſanatu tam difficile eſt, indicationes tantopere complicat atque confundit, atque tum ſaepe lethiferum, indeque probe tyronum capitibus imprimendum eſt. Sane Noſter, copioſiſſimus alias in opinionibus, parui ſubinde momenti, exponendis, confutandis, in hac febre enarranda, quae frequentiſſima eſt, et maxime deleteria, minime nobis ſatisfecit, nec legenti cuique, cui in rebus medicis ſana mens eſt, ſatisfaciet.

p. 278. *Hungarica febris* ex auctoribus ſat fuſe exponitur, deinde de *febre catarrhali maligna Germanorum*, ſeu *febre petechizante* STAHLII agitur. Rem falſo explicat Noſter, dum illuſtriſſimos in praxi medica viros atque eminentiſſimos catarrhalia ſymptomata, vbi non adfuerint, ſuppoſuiſſe adſerit: catarrhalis enim maligna petechizans febris STAHLII proprie in inflammatione catarrhoſa, ſiue ſpuria pectoris, cum ſymptomatibus febris bilioſo-putridae, adeoque et cum propenſione ad petechiales cutis efflореſcentias conſtitit, talesque epidemiae catarrhalium petechizantium et hodie haud infrequentes obſer-

vantur,

vantur, malignae vero, id eſt putridae eminentes, raro euadunt, quoniam earum methodus medendi accommodatior iis efficaciorque et efflorescentiarum cutanearum theoria longe aliter hodie, et ad naturae quidem normam, inſtructa eſt.

Tertiana continua. Cauſus. Eſt tritaeophyia SAUVAGESII, magisque ideo recepta, vt ordo, quem recepit Noſter, non turbetur, quam vtilitatis tyronum gratia. Cauſus dicitur, ſi omnia exarida extorridaque febrili igne ſunt. Eius ſpecies tres ſtatuuntur, bilioſa, ſtercoracea et inflammatoria. Primae frigida, imo *niuata* potio conuenire dicitur (forſan ad partes ab ardentiſſima bile iam ad extremam irritationem deductas in ſupremam criſpaturam, inflammationem, caet. coniiciendas?) In altera aluus *alcaleſcens*, (et haec, de quibus ſaepe loquitur, *alcaleſcentia* nimis indefinita, coram tyronibus praeſertim, dicta ſunt: tyrones ſalem ſibi cogitabunt lixivioſum, acido ſaturandum.) putrida acidis purgantibus temperanda, in tertia inflammatio inteſtinalis tubi, alioue haerens reſoluenda eſt. p. 287.

Vniuerſam vero Noſtri diuiſionem febrium continuarum remittentium cathedram magis redolere, quam aegrotantium lectum, inde etiam liquet, quod ad febres remittentes, *quae modo quotidianae, modo tertianae typum ſeruant, febrem remittentem lentam malignam, neruoſam* dictam, (adeoque lentam neruoſam, de qua ſupra, minus appoſite, titulo continentium egit) retulerit. Alteram eius ſpeciem ſtatuit *febrem remittentem ſoporoſam* ſenum, a medicis hactenus fere omnibus neglectam, a Cl. vero LE ROI probe deſcriptam atque a Noſtro ſaepius viſam. Acceſſiones habet paribus diebus vtplurimum grauiores, imparibus tamen poſt diem XIV. grauioribus. Frigus extremorum omnium XV ſaepe horarum calorem praecedit. Pathognomonica vero p. 314.

morbi ſigna ſunt caput ſopore apoplectico quaſi oppreſſum, poſtea in veram apoplexiam degenerante, pulſusque in remiſſione aequalis, elatus, non valde frequens, in acceſſione vero frequentior, paruus, debilis, obſcurus. Aegri ſaepe in remiſſionibus admodum leuantur. Senes ſparſim occupat, absque ſenſibili praegreſſa cauſa, autumno praeſertim et hyeme, atque XI. aut XIII. die morte terminatur. Subinde etiam lenta morte iugulat. Speciem illius *febris hemiplegica* conſtituit.

p. 334. *Febris puerperalis neotericorum.* Argumenta Gallorum, quibus a lacte oriri anomalo hanc febrem ſtatuunt, enarrantur, et refelluntur, ex eo, quod neque lac, neque chylus ad nutriendum foetum ad vterum deferantur, quod lactantes febre affectae mammas ſaepe turgidas habeant, quod a puerperii malis etiam probe lactantes afficiantur, quod absque febri puerperali interdum intercepta lactis ſecretio ſit, durante hac febre mammae ſaepe lacte turgeant, caet. quod denique lactea materia, in abdomine hoc morbo defunctarum pus ſit ex omenti et viſcerum caeterorum abdominalium ſuppurationibus collectum. Ex obſeruationibus plurimis fuſe enarratis cum epicriſi doctiſſima demum concluſio eſt, hanc febrem a cauſſis admodum variis diuerſisque externis compluribus oriri, et pro harum cauſſarum ratione diuerſam eſſe, indeque erraſſe, qui lactis retentionem, repulſionem, lochiorum aberrationem, vteri phlegmonen, putredinem, caet. pro vniuerſali huius febris cauſſa habuerint, quae diuerſa potius eſt, pro diuerſa ſcilicet, quae morbum induxit, occaſione. Tandem etiam hiſtoria morbi ex recentioribus ſcriptoribus concinnata proponitur, omniaque, quae circa hanc febrem, quam nos etiam morbum proprii et priuati generis non putamus, Noſter dixit, modeſte, ſimul vero eximie dicta ſunt, adeo vt vix ſcripto-

ſcriptorem vllum legerimus hactenus, qui tanta modeſtia, tamque ſeuere argumenta omnia pugnantia et repugnantia congeſſerit melius, diſcuſſerit accuratius, iuſtioresue ex iis concluſiones deduxerit.

Quartana continua, ſiue tetartophya. Differt a quartana, quod ſine frigore, horrore, aut rigore exacerbetur et citra ſudorem ſe remittat. Rara eſt. Species SAUVAGESII proponuntur. p. 416.

De febribus continuis compoſitis, ſiue proportionatis. Compoſitio triplex eſt. Prima ſi febres intermittentes inter ſe componuntur, altera, ſi intermittentes continuis aut remittentibus, aut continentibus complicantur, tertia, ſi febres continuae vniformes ſibi iunguntur. — *Hemitritaeus* Noſtro ea febris eſt, quae ex tertiana intermittente cum quotidiana continua, aut ex quotidiana intermittente cum tertiana continua componitur. p. 421.

Tandem *de febre colliquatiua primaria,* ſiue *eſſentiali* agitur, quae videlicet extenuationi corporis ab euacuationibus nimiis coniuncta eſt. Ex vrina potiſſimum cognoſcitur, cuius notae fuſe deſcribuntur. p. 436.

XVIII.

Inſtitutionum medicinae practicae, quas auditoribus ſuis praelegebat IO. BAPT. BVRSERIVS DE KANILFELD, Volumen ſecundum de morbis exanthematicis febrilibus. Mediolani MDCCLXXXV. in 8. 685. pagg. et Lipſ. ap. Gleditſch.

Seiunxit Cl. Auctor exanthematicos morbos a reliquis febribus eam ob cauſſam, quod febris nec eſſentialis iis, nec ſemper ſocia ſit, benigniſſimique exanthematici morbi vtplurimum absque omni febre ſint, nec febris, quae iis adiungitur, certum ordinem typumue habeat. Febris in exanthema-

ticis morbis motus eſſe videtur plus minus neceſſarius, quum heterogeneum exanthematum principium excitat ad criticam euacuationem excitandam. Hinc ſopitur febris, materia omni ad cutim deiecta; perſiſtit vero, reſidua adhuc in corpore exanthematum materia. Benignitatis et malignitatis exanthematum notae praecipue ex febre eruuntur, quae in benignis ſemper vel omnino deficit, vel minuitur, exanthematibus verſus cutem propulſis, in malignis vero intenditur et cum grauiſſimis neruoſi ſyſtematis affecti ſymptomatibus apparet. Virium defectus malignitatis ſymptoma certum non ſemper eſt: vidit Noſter ſaepe admirabundus, aegros perniciosiſſimo exanthematico morbo ſubito exſtinctos animalibus viribus eximie valuiſſe. Ex exanthematibus etiam quaedam communiter benigna, maligna eſſe ſolent, alia mediae naturae et inter benignitatem et malignitatem conſiſtentis.

Signa exanthematum futurorum certa vix vlla ſunt, frequentiſſimum tamen pectoris oppreſſio ingens eſt. Omnia tandem periodos tres habent, primam exſolutionis, alteram efflorefcentiae, tertiam deceſſionis. (deſquamationem Noſter vocat, ſed haec omnibus non conuenit exanthematibus)

p. 21. *Eryſipelatis* vtiliſſima diuiſio eſt in protopathicum, fortuitum ac ſymptomaticum. Febris ipſum vel antecedit, vel comitatur, vel ſubſequitur. Rariſſime vltra perfectam eryſipelatis eruptionem producitur, niſi phlegmonodes, aut malignum et gangraenoſum ſit. Proxima cauſſa phlogoſis cutanea eſt, quam acer humor bilioſae ſanguinis parti veteribus dictae ſimillimus creat. Sanguinis miſſio commode in hoc morbo inſtituitur, dummodo non oedematodes aut malignus gangraenoſusque eſt, ſanguisque nec bilioſus, nec ſolutus nimis apparet. Reliqua cura inter diaphoreticam, antiphlogiſticam at-

que

que euacuantem media eſt, neque recentiores Noſter in eo ſequitur, quod euacuantia, praeſertim per vomitum, antibilioſa, in quocunque eryſipelate commendet. — *Zona* veteribus, PLINIO excepto, vix nota ex obſeruatoribus copioſe deſcribitur.

Purpura ſcarlatina benigna, raro ſporadica, febri remittenti adiuncta cauſſam contagioſam, ex peculiari miaſmate natam, vti alias communis medicorum fert opinio, ex Noſtri mente non habet, qui theoria ſua ſeductus eam a victu falſo et quacunque humorum acritate deducit. Aër frigidus etiam in benigniore morbo nocet. Si vero intenſior eſt, nihil regimine frigido pernicioſius a Noſtro cenſetur. Indeque etiam in Etruria medici, ſi et calidiſſimo aeſtatis tempore ſcarlatina febris, frequens ibi, ingruit, aërem non renouant, neque cubiculum permutare ſinunt, niſi die quadrageſimo exacto. Haec vero pernicioſiſſima ſane etſi a Noſtro non probantur, tamen aër calidus admodum illi laudatur, theoria, qua omnia exanthemata primaria pro depuratoriis habet, ſeducto. — Maligna aut cum remittente aut lenta febre coniuncta eſt, neque peculiare miaſma coniunctum ſibi habet, ſed ab iisdem cauſſis, qua benigna, naſcitur. Cortex Peruuianus, hodie non modo in morbis, vbi ſummus languor aegros occupat, verum etiam in ardentiſſimis febribus, vbi vires manifeſto excedunt, dari ſolitus, in igneo iſto feruore peſſime datur; cordis enim vim atque arteriarum incitat. Indeque etiam praeſtantiſſimi medici malignam ſcarlatinam antiphlogiſticis, refrigerantibus curarunt, mirumque eſt, HAENIVM, ſummum virum, ingentem corticis vim in hoc morbo quotidie ingeſſiſſe. Ad gangraenoſam anginam gargariſmata ſtimulantia, etiam ex vini ſpiritu alcoholiſato, (cur non ex vitrioli, ſalis, ſpiritibus dilutiori-

P. 58.

 bus,

bus, cum melle et corticis Peruuiani alioue herbarum aromaticarum decocto?) laudantur.

p. 97. Secundariorum post scarlatinam febrem morborum origines a regimine diaphoretico neglecto, aëre frigido corpori admisso et turbata inde crisi deducendae sunt. Nec in solo oedemate consistunt, sed in articulorum quoque doloribus, glandularum indurationibus, deliriis, conuulsionibus, spiratione intercepta, pro loci varietate, quem retropulsus humor occupauerit. Oedematis, quod frequentissime superuenit, altera species calida, altera frigida est, ob medendi methodum diuersam probe distinguenda. Ad calidum oedema, in Etruria praesertim frequens, venaesectio et antiphlogistica reliqua methodus semper profuit, frigidum vero catharticis et diureticis, nitro praesertim (?) cum aperientibus copiose dato, curandum est. Solidarum partium laxitas (sed absque infarctu vasorum, glandularum, qui vtplurimum subest) si adest, corticem dare, aliaque roborantia conuenit. Reliqua post scarlatinam mala, arthritici dolores, caet. simili medela aut frigida, aut calida, pro re nata, cedunt.

Febre exanthematica urticata, essera, porcellaine Gallis dicta, atque *essera* VOGELII expositis breuiter, *pemphygus recentiorum*, seu *morbus phlyctaenoides* pertractatur, quo facto ad *morbillos* transitus est. Hos alii
p. 118. ad scarlatinam febrem, alii ad variolas proxime accedere, sed falso, putarunt, quum proprium et priuatum morbi genus constituant. Qui semel iis laborauit, immunem deinceps certo fore, non credat; quod secundo et tertio eumdem hominem in eos incidisse, ex fidis obseruationibus constat. Hae vtinam *fidae* obseruationes copiose recensentur, non vero, quod notari debuisset vtique, notatur, medicos, si vnquam in diagnosi possint decipi, id in morbillorum morbo, cuius exanthema plurimam cum

aliis

aliis, in quibus cutis rubro colore tincta atque eleuata est, fieri quam saepissime debere, et vere accidere. In errorem etiam lapsus Noster est, contra omnem obseruationum vim, epidemicos morbillos generatim pro malignis et spuriis declarans. Epidemicae et quasi ferinae tusses morbillosam constitutionem vtplurimum praecedunt.

Benignorum morbillorum historia ex SYDENHAMO describitur. Instantes ex febre cognosci non possunt, nisi ex contagii praesentis susceptiue anamnesi. A variolis, vbi erumpunt, vix distingui possunt, nisi quod pustulae numerosiores, et in racemos quasi collectae morbillorum sint. Discrepant morbilli a variolis, quod morbillosum virus non ita causticum exulceransque sit, vt variolosum, quod pulmonibus magis officiat, pustulas longe minores pariat, pus non continentes, quod epidermidem plus, quam cutim, laedant, affectibus catarrhalibus, contra, quam variolae (adeoque in variolis, post eruptionem, nulla catarrhi symptomata?) stipentur, quod haemorrhagia narium, vteriue morbillis frequentius, quam variolis, superueniat. Differentia, quae inter scarlatinam febrem et morbillos intercedit, exacte describitur. In curatione nil fere est, quod desideres. Mala etiam symptomata benignis morbillis superuenientia ab exanthematibus retrogressis, materia morbi ad pulmones conuersa, caet. optime enarrantur atque curantur, simulque praeclare notatur, omnia anteuerti, si ab initio regimine antiphlogistico atque diluentibus febris impetus fuerit retusus, atque euacuationes, quas natura molitur, prudenter et blande promotae fuerint, si demum, superato morbo, aluus leni medicina, iterato data, ducatur.

Maligni morbilli caussam et distinctiua symptomata cum benignis communia habent, laudabilem p. 157.

 exitum

exitum non aeque. Exanthemata multo citius multoue tardius, ſubinde octauo poſt febrim eruptiuam ingreſſam die (ſed haec nullo forſan teſtimonio confirmanda) prorumpunt. Mala ſymptomata poſt eruptionem praeſertim inualeſcunt, et praeter inordinatam inſuetamque benignis puſtularum eruptionem, omnia ſymptomata benignos comitantia multo grauiora atque pertinaciora ſunt. Vitae periculum ex viribus naturae deficientibus, neruoſi generis affectione, putredine et morbida materie nobiliores partes pertinaciter occupante reſiduaue aeſtimandum eſt. Curatio potiſſimum per medicamenta humores ad cutim deducentia, pellentia interna, irritantia externa inſtituenda, ſimulque viribus, quoquo modo poſſit, proſpiciendum eſt. Si liuent aut nigreſcunt, praegreſſo praeſertim regimine nimis calido, et a cutis inflammatione atrociore ortum hoc ſymptoma eſt, venam incidere expedit.

Siccatis morbillis, praeſertim malignis, qui frequentiſſime ſuperuenire conſuere morbi, peripneumonia, amphimerina, tuſſis, diarrhoea, ophthalmia, glandularum tumores, hydrops anaſarca, aſcites, cum curationibus ſuis, enarrantur. Ad ophthalmiam diſcutientia, reſoluentia (quae ſaepe vero non ſufficiunt, humoribus quippe per internas medicinas potenter alterantes, dulcem praeſertim mercurium, alterantem Plummeri puluerem, guaiaci gummi, cicutam, caet. corrigendis)' et deriuantia laudantur.

p. 174. Anomalorum morbillorum nomen his tribuitur, qui a communi ordinarioque proceſſu quam maxime deflectunt, iique aut benigni, aut maligni ſunt. Morbilloſae etiam febris absque morbillis efflореſcentibus exiſtentia, ex varioloſae praeſertim febris analogia, adſtruitur, tandemque *rubeola variolodes* SAUVAGESII breuiter enarratur. Inſitio morbillorum

rum in epidemica ſimulque peſtifera conſtitutione commode inſtituitur.

Variolarum cognitio num ad HIPPOCRATEM peruenerit, dubium valde eſt, vērofimillimumque, eas ab Arabibus primum eſſe deſcriptas. Ad febres minime, adeoque non ad ſynochum contagioſam, referendae ſunt, quoniam benigniſſimae absque febre ſunt. Non ab erroribus diaeteticis (vt de morbillis putauerat, at falſo, Noſter), ſed a peculiari veneno, acri, ſubtili, inflammante, diu integris viribus perſiſtente, naſcuntur. Nec ad eas auertendas ſanguis e funiculo vmbilicali in recens editis diligenter expreſſus, nec alia vlla nota encheireſis quidquam valet. „Certiſſimis ex factis obſeruationibus„que medicorum probatae fidei et ſummae aucto„ritatis cognitum eſt, non paucos, ſpontaneas aut „artificiales variolas veras legitimasque expertos, „ſecundo et tertio in easdem incidiſſe. „ Haeque obſeruationes, magna ex parte notae, iam fuſe enarrantur. Vnius eiusdemque naturae eſſe venenum varioloſum, et ſi quid interdum differat, omne diſcrimen in maiore aut minore virulentiae gradu conſiſtere admodum credibile eſt: effecta autem eius pro quantitatis ratione viarumque, per quas in corpus ingreſſum eſt, diuerſitate admodum variare, differentias autem ex aegri habitu, conſtitutione, caet. manare. p. 184.

Praecipuum benignitatis in benignis variolis indicium febris ceſſatio eſt, poſtquam variolae eruperunt, quae tamen vtplurimum, ſuppurantibus variolis, exacerbatur. E benignis aliae, diſcretae, maturationis ſtadium longius et lentius percurrunt. Ptyaliſmus ſubinde et in benigniſſimis obſeruari ſolet. p. 207.

Sunt autem inter variolas benignas atque malignas etiam *mediae naturae* variolae, quae ſcilicet tranſitum

quaſi quendam a benignis ad malignas conſtituunt. Malignae autem aut confluentes, aut diſcretae ſunt. Ad has cryſtallinae, ſiliquoſae, verrucoſae referuntur. Confluentium etiam quaedam minus pernicioſae, ſiue benignae ſunt, et ptyaliſmo, febre ſecundaria, caet. quidem ſtipatae, tamen ſine plurima vitae affectione decurrunt.

Malignarum confluentium prima ſpecies *eryſipelatodes* eſt, a MORTONO deſcripta. Altera, in qua ſola facies eryſipelatoſo tumore afficitur, lethifera pariter, *morbilloſa* Noſtro dicitur, etiam a SYDENHAMO obſeruata. Tertia complanatas variolas exhibet, ineunte ſuppuratione confluentes, non aeque ac priores ferales. Quarta *ſanguineas* continet, gangraenoſas, putridas. Quinta confluentes cryſtallinas. Aliae demum putridae, peticulis interſtinctae, caet. ſunt, et ſubinde in benignas natura, arte naturam adiuuante, mutari ſinunt.

p. 254. Variolas autem diſcretas aeque ac confluentes plurima ſymptomata comitari ſolent, inter quae primaria haec ſunt: Phrenitis, quae aut ab inflammatione ante eruptionem, aut a ſuppuratione naſcitur, lethargus, peticulae, exanthemata miliaria, variolarum apices nigri, ſiue gangraenulae, a necrotica varioloſi humoris natura, ſeu ab ipſa humorum ad putredinem diſpoſitione repetenda, eruptio difficilis naturumque depreſſio aut a vi vitali fatiſcente, aut exſoluta nimis atque exſuperante pendens, vrinae ſuppreſſio, quae aut ob ſpaſmum, aut ob inflammationem locum habet, ſanguinis ſputum, haemorrhagiae, praeſertim narium, oculorum inflammationes (catarrhalis maxime naturae), vomitus, alui fluxus, febres intermittentes, tuſſis, dolor oſteocopus ad finem vergente morbo a veneni ad oſſa decubitu natus. Omnia autem in varioloſo morbo ſymptomata

mata ad tria genera reduci patiuntur, inflammatoria, neruosa et putrida.

Quae ad prognosin in variolis faciunt, partim ex his desumuntur, quae morbum praegressa sunt, partim autem ex iis, quae eum comitantur. Si valetudo aegro prospera semper, neque vllus morbus, aut morbosa constitutio fuit, verbo si integra sanitate fruentem variolae occupant, spes est (at saepe dubia, quum saepissime valetudinarii maxime variolas benignissimas experiantur, etiam ii, quorum morbosa constitutio malis alias variolis fauet) aegrum euasurum. Constitutiones calidas, humidas, morbos putridos, exanthematicos dominantes malignas variolas reddere, obseruatio constanter docuit. In primo stadio rarum periculum est. (nisi a conuulsionibus, quas aliquoties vidimus mortiferas.) In prognosi caeterum, quoad specialia symptomata, Noster admodum copiosus est.

In *curandis variolis* hoc animo tenendum est, p. 280. naturam summa ope niti, vt principium heterogeneum, quo instigatur, ad cutim critice, febris ope propellat. Indeque consequens est, omnia probe successura, si naturae iste motus neque excedat, neque deficiat. Hinc humores a nimia cum veneno varioloso fermentatione, diaeteticis praesertim auxiliis, cauendi sunt, frigore praesertim, atque aëre continuo renouato. Media tamen quadam via in naturalibus variolis incedendum, eoque respiciendum, vt madida tepidaque cutis exanthematum egressui faueat. Sane aëre frigido temere corpori, calenti praesertim, admisso, in benignissimis etiam variolis funestae metastases subito natae sunt, in pueris praesertim ex infima gente, quorum conclauia contra aërem minus munita sunt.

Medendi variolis methodus ad summorum virorum, SYDENHAMI, MORTONI, HAENII, SWIETENII,

TENII, TISSOTI mentem praeclare expoſita per ſingula morbi ſtadia tranſit. Purgatio alui in ſecunda variolarum febre non promiſcue inſtituenda eſt, certosque, vti ſanguinis miſſio, limites habet. Purgatio ſemper neceſſaria eſt, ſi puſtulae exſiccantur, antequam debite ſuppurauerint, aut ſi ex materia intus reſtitante febris ardens oritur, nec non ſi puſtulae pure probe turgent, nec pus e puſtulis exſtillat, nec per vrinas defertur, ſi ptyaliſmus ceſſat et inflammationis internae ſymptomata conſpicua fiunt. Abstinere autem a catharſi expedit, quam diu tumor faciei et puſtularum inflammatio permanet et ſaliua rite defluit; ſi manus, detumeſcente ore, intumeſcunt, ſi ſponte aluus fluit, aut ita liquata eſt, vt hac via corpus exhauriri timeatur. Sanies ſub cuticula latens ſi inciſa aut ſciſſa ſponte cuticula demittitur, aluus purganda non eſt, ne ſcilicet ſalutare naturae negotium turbetur. Non credendum eſt, in manu arbitrioque medici et in medicamentorum poteſtate poſitum eſſe, reſiduas morbi reliquias, ſiue ſub cute adhuc haerentes, ſiue per corpus in circuitum acta, ſecernere et, quo conferat, euocare. Sordes quidem in inteſtinali tubo collectae atque coaceruatae commode detrahi poſſunt malique ſucci quodam modo ad inteſtina prolici: ſed hoc non ſemper ex animi ſententia cedit, indeque poſt varioloſum morbum reſidua mala intermiſſae purgationi vix tribui poſſunt. Ipſum adeo catharticum, veneno morbido ad interiora vocato, metaſtaſin lethiferam inducere poteſt.

p. 365. Metaſtaſes varioloſi morbi nimis ſuccincte expoſitae ſunt, neque quando varioloſum venenum abſcedat, nec qua ratione, nec quaenam efficiat, ſufficienter dictum eſt. Nec ſane vbique conuenit, neque etiam ſi vires vigent, reſolutionem abſceſſuum, prouti praecepit Noſter, ſanguinis miſſione tentare,

tentare, neque medicamenta alia, quae praecepit, ſufficiunt. Oculorum etiam morbi, aliique, qui variolas excipiunt, nimis tenuiter pertractati ſunt.

Ad *artificiales variolas* non omnis praeparatio damnanda eſt. Inſitio ad GATTI, V. Cl. mentem acu peragenda. Ipſa autem inſitio pluribus ex cauſſis naturalibus variolis praeferenda eſt. p. 375.

Variolofa febris absque variolis ſiue variolarum eruptione finitur, quoniam mitius et volatilius forſan varioloſum miaſma febre exſolutum exanthematibus contineri nequit et in auras auolat. Ex contagio praegreſſo, epidemica conſtitutione, caet. cognoſcitur. — Tandem de variolis ſpuriis agitur breviſſimis.

In *altera ſecundi voluminis parte* haec continentur:

Ab ineunte ſaeculo XVI. *peticularis morbus* in Italia, deinde in vniuerſa Europa innotuit. Is et primarius eſt et ſecundarius. Primarium vero eſſe inde demonſtratur, quod, quando epidemice peticulae increbreſcunt, hae ſubinde ſine febre appareant et ſaniſſimos corripiant, febris etiam eas haud raro ſequatur. Deinde morbus iſte natura ſua ad cutim contendere videtur, vti alii vere exanthematici morbi, neque vlla interdum arte impediri poteſt, quo minus cutim petat. Regimini aeque frigidiſſimo et medendi methodo frigidiſſimae, quam vtrisque calidiſſimis, ſuperueniunt, et ſi etiam quidam, ſaeuiente epidemia, febre quidem, at peticulis non corripiuntur, res eodem modo, ac cum varioloſa febre absque variolis, ſe habet. Febri praeterea adiunctae ſunt variae, multiplici. Quarto a febre die exanthemata peticularia prodeunt, et vix vnquam, niſi admodum anomalae fuerint, vltra ſeptimum erumpere cunctantur: ſecundariae vero in prouectiore morbo, ad finem vergente, aut ad interitum, p. 402.

itum, nisi calidius regimen eas praecipitauerit, apparent. Salubris etiam peticularum regularis eruptio, contra irregularis est: sua habent, quae percurrunt, stadia: verbo primaria esse, nemo facile inficias iuerit, qui morbo tali populari obseruando operam dederit. Febris peticulis adiuncta modo remittens, modo intermittens est, cortici vero Peruuiano non cedit. Plerumque quotidiana continua est, cum sudoribus remissione durante persistentibus. Discrimen inter primarias atque secundarias peticulas etiam ex colore cognoscitur; illae scilicet colore dilute rubro et roseo, hae purpureo sunt. Certissimum vero signum eruptionis tempus et epidemica constitutio exhibet. Benignae vbi eruperunt, omnium symptomatum remissio est, saltim articulorum dorsique dolores mire sedantur. Subinde pacatioribus omnibus post peticularum eruptionem febris cum eaque omnia recrudescunt, tuncque pectoris praesertim anxietate praegressa miliaria peticulis superueniunt. In malignis vero morbus eruptione exanthematum non leuatur, imo, accedentibus neruosae affectionis et putredinis symptomatibus copiosissimis, intenditur. Inde etiam in cadaueribus putridae inflammationes, gangraena frequentissimae, indeque maligni morbi symptomata primaria omnia a putredine repetenda, atque subitanea quoque cadauerum putredo.

p. 45c. Morbo huic, cum epidemicus est, omnes obnoxii sunt, cuiuscunque aetatis atque conditionis. Quaedam regiones, humiles praesertim, illi magis obnoxiae sunt. Ruri vtplurimum morbus benignior est. Salubrium interdum locorum incolae magis, insalubrium e contra minus afficiuntur. Distinguitur petechialis febris ab aliis morbis, quod exanthemata petechialia in omnibus aegris apparent, quod primis statim diebus erumpunt, praemissa etiam purga-

purgatione, nec ſemper cum cacochyliae ſignis coniuncta ſunt, quod ſine vlla ſenſibili excretione euaneſcunt, retropulſa aut cito euaneſcentia vitae periculum adferunt. Iisque notis etiam a ſymptomaticis peticulis diſtinguuntur.

Cauſſae peticularum ab inedia a quibusdam, ab aëre ſtagnante, putreſcente ab aliis repetitae, ſed falſo, ſunt. In Etruria quum anno MDCCLXVII. graſſarentur, altiora et ſalubriora loca magis, quam humiliora, vliginoſa, occuparunt. Videntur adeo ab ipſa conſtitutione epidemica non aequali modo participare: exempla enim proſtant, eas tribus annis, conſtitutione interea admodum variante, continuaſſe. Indeque plurimum ponderis coniectura nanciſcitur, peticulas epidemicas ab aëre occultum aliquid et noxium, praeter primarum qualitatum alterationem habere. Inclinat Noſtri animus, vt arbitretur, peculiare miaſma id eſſe, quod in feruidioribus potiſſimum regionibus generetur, modoque, quo in alios propagetur, et agendi modo generatim cum varioloſo miaſmate plurima communia habeat. Neque ſemper ſanguis in peticulis liquatus eſt, coactus adeo ſubinde atque compactiſſimus. Interdum in peticulis ſymptomata neruoſa, interdum colliquatiua et putrida, interdum inflammatoria et coagulatiua eminent, interdum ex his alia aliis iuncta ſunt, interdum omnia concurrunt. Peticulae ipſae in heterogenea materie, venenatae atque incognitae naturae conſiſtere videntur, quae ab humoribus ſecreta ad cutim propellitur, hinc nec pro ecchymoſibus, nec pro inflammatiunculis habendae ſunt.

Curatoriae indicationes cum exanthematicorum morborum aliis conueniunt, et ad naturae motuum iuſta moderamina redeunt. — Vomitum concitantia non ſemper dare expedit, neque ſemper, ſi ipſe vomitus vrget, qui ſaepe non a ſordibus, ſed a ſola neruoſi p. 479.

neruosi generis irritatione origines habet. Symptomatum simul praecipuorum curationes enarrantur, meteorismi, cuius duae species describuntur, altera, quae ab aëre nascitur spasmo in intestinali tubo coërcito atque exsoluto, altera, quae ab atonia intestinalis tubi nascitur, atque complurium aliorum.

p. 521. Peticularum benignarum atque mediae naturae historiae copiosae ex auctoribus, propriaeque Nostro enarrantur. Peticulas Fauentiae anno MDCCLII. grassantes praecessere febres inflammatoriae, insurgentibus postea febribus lentis neruosis atque malignis cum phlogistica diathesi. His successere peticulae putridae, neruosae in plurimis, at in quibusdam inflammatoriae, sanguine etiam detracto corium pleuriticum exhibente. Raro homines moriebantur, iique ex abscessu ad cerebrum nato. Malignarum historiae ex OCTAVIANO ROBERTO et HASENÖHRL enarrantur.

p. 535. *Miliaris morbus* peticulari tam affinis, vt olim vix vllum inter vtrumque discrimen poneretur, inter initia summam cum peticulis similitudinem habet, in progressu vero diuersitatem. Vtrumque morbum autem diuersum esse probat praeter alia alterum exanthema alteri saepe succedens. Notum veteribus, HIPPOCRATI inprimis atque AETIO, exanthema miliare fuit, multo tamen serius probe describi coepit, et credibile admodum est, veteres hoc exanthema pro symptomatico tantum habuisse. Tum primum accurate describi seorsim morbus coeptus est, quum Lipsiae annis 1652. 1653. 1654 in puerperas debaccharetur, ab eoque tempore pro peculiari morbo habitus est. Illud autem animadvertendum praeprimis est, nonnullos, visa epidemica huius morbi constitutione perniciosis symptomatibus stipata, miliarem morbum pro alio non habuisse, quam qui malignus semper, terrificus et paene lethalis

lethalis esset, reliquum benignum morbum ab hoc genere ablegantes.

Insignis quoad miliaris exanthematis origines diversitas conciliari poterit, inquisito praesertim eo, quod hae efflorescentiae cum aliis exanthematicis morbis proprii generis commune habent, quod Noster praeclare praestitit. Et primum quidem miliaria etiam sine febre dantur, quod ex plurimis auctoribus euincitur. *Morbus miliaris apyretus* Nostro dicitur, Germani *purpuram chronicam* dicunt. Alterum genus morbi *morbus miliaris pyreticus* constituit, qui febrem adiunctam habet natura et decursu multiformem, vt in peticulis. Papularum insignis differentia est, inepta vero morbi ab hac hausta distinctio: morbi enim indoles siue benigna, siue maligna, magis ex caussis et symptomatibus, quam ex pustularum differentia, declaranda.

Historia morbi praeclare descripta est, nec quid p. 562. omissum, quod ad morbi peculiarem naturam cognoscendam vllo modo conferre possit: pectoris praesertim symptomata, huic morbo ante eruptionem praesertim propria, praeclare et ad amussim descripta sunt. Eruptionis tempus incertum est atque a die morbi secundo vsque ad 14 aut 16 protenditur. Sunt etiam constitutionum exempla, in quibus morbus ad quintam sextamque hebdomadam protractus est, papulis demum efflorescentibus. Communissimum tamen est, tertio aut quarto, rarius septimo die, exanthemata miliaria prodire. Si perfecta eruptio fuit, omnia sedantur, sin minus, febris excandescit vehementius, quod etiam retropulsis papulis accidere solet. Variationes etiam et symptomata accedentia morbo alias non solita, pro varia epidemiarum ratione, corporum, quae corripit, constitutione, caet. plurima habet.

Con-

Contagioſum morbum eſſe ſuperioris aeui medici credidere omnes, noſtri pauci. Eſſe tamen veriſſimum eſt. Ipſe Noſter vidit, incidiſſe quendam in eundem morbum, poſtquam ſudorem aegro miliari febre affecto abſterſiſſet morbumque ſuſcepiſſet. Nec alia eiusdem tenoris exempla deſunt. Vti variolosa febris ſine variolis exiſtit, ita et miliarem absque miliaribus exiſtere credibile eſt. Vidit ſaepius Noſter, miliarium epidemiis graſſantibus, febres omnia aut pleraque miliarium ſymptomata exhibentes, vna excepta exanthematum eruptione.

Signa morbi iam ante eruptionem exanthematis plurima ſunt. (vniuerſa febris indolem peculiarem habet, quam qui bene cognitam habuerit, vix in miliarium praedictione delinquet). Crebrae horripilationes, ſudor certae naturae, odoris, pectoris oppreſſio (peripneumoniam ſaepe mentiens, quam adeo aliquoties cum eminentiore pulmonum inflammatorum ſigno, ſputis ſanguine tinctis, ſtipatam vidimus), inquietudo, moeror aegrotantium, neruoſa ſymptomata febri per cutem depuratoriae intermixta, ſtupor digitorum pungitiuus, (ſaepe a nobis in exquiſita febre miliari non obſeruatus, ſubinde exanthemati, vbi foras protruſum eſt, ſuperueniens), pulſus intermittens, ordinate miliaria inſtare ſignificant.

p. 576. Malignitas a febris ſubdola natura pendet. (miaſma vero tale eſt, vt facile talem ſubdolam febrem inducat) Irregularis morbus aut quoad exanthematum eruptionem, aut quoad alia ſymptomata eſt. Laruatus etiam non infrequens eſt, ſaepiusque febrium inflammatoriarum pectoris, rheumatiſmi, apoplexiae, eryſipelatis ſpecie, caet. incedit. Cognoſcitur tunc ex eo potiſſimum, quod morbus, quo ſe tegit miliaris, ſemper inſoliti quid habeat, et contra ſoliti quid ei deficiat, quod denique medicamenta

vtilia

vtilia alias vtilitatem non adferant. Pectoris etiam affectiones, profusi sudores, neruosa symptomata, symptomatum ipse a mitioribus ad difficilia magis transitus aliquid peregrini subesse indicant. Complicationum postea a laruatis miliaribus differentiae, notae, species, signa, diligenter enarrantur.

Prognosin quod attinet, morbus illo fallacior, p. 597. ac qui magis infidus sit, vix existit, ita vt „*quando is* „*mihi curandus est, nunquam magis sollicitum me sentiam.*„ Excipitur tamen apyretus et chronica purpura (sat quoque subinde fallax et, retrogressa praesertim, subito non valde raro lethalis.) Periculum ex affectionis intensitate aestimatur. (praesens quidem: non semper futurum.) Deterrimum in decursu morbi signum pauor est et mortis timor, qui quandoque, per se lethiferus, sine aliis malis signis, subito, noctu, superuenit.

Circa proximam febris miliaris caussam acriter a medicis disceptatum est. Morbum tamen ex peculiari proprioque miasmate nasci indubium paene est atque praestantissimorum practicorum obseruatione confirmatum, qui morbum et frigidissimo regimine praegresso ortum saepe obseruarunt. Ipse etiam Noster vidit, morbum nullo saepe modo posse praecaueri, nec frigidissimo regimine, nec sanguinis missionibus crebro, imo septies repetitis, nec purgantibus, nec emeticis. Hoc miasma *peculiare istud lymphae vitium, vix determinandum*, complectitur, quod plurimi medici caussam morbi constituere statuerunt: verum incognitae hactenus naturae est, neque acidum, neque septicum, neque putridum.

Vtrum hoc miasma sponte in homine nascatur, p. 632. an alibi natum extrinsecus in nos irrepat, dubium quidem est, at non absonum, vtrumque statuere. Nasci sensim ex impuri, squalidi, vliginosi aëris in

corpus humanum viuum effectibus plures historiae probare videntur.

Antidoton specificum morbi hactenus desideratur. Generaliores indicationes sunt, vt acre miasmatis obtundatur, vt eius separatio, excretio, adiuuetur, vt calidum generatim regimen vitetur, blandis diapnoicis insistatur. Transitus postea Nostro per singula medicamentorum auxiliorumque genera est ad miliarem febrim commendatorum. Vesicantibus parum vtilitatis, nisi lapsis admodum viribus, tribuitur. Acida eruptioni generatim obsunt et effectibus magis tollendis idonea sunt, quam caussae morbi. Tandem quae ad regimen pertinent, exponuntur.

p. 670. *Miliaris puerperarum febris* a morbo miliari primario non differt, nisi periculo maiore: caussam enim non diuersam habet, neque a lacte generatur. Morbi insuper decursus semper idem est, periculosior tantum in puerperis. Retropulsio papularum aeque periculosa est.

XIX.

Institutionum medicinae practicae, quas praelegebat IO. BAPT. BVRSERIVS DE KANILFELD, volumen tertium. De praecipuis singularum corporis partium morbis ac primum de iis, quae ad caput pertinent. Mediolani MDCCLXXXV. typis imperialis monasterii maioris. Vol. III. pars prima. 315 pagg. pars altera. 347. pagg. in 8. Lips. ap. Gleditsch.

Praefatio Auctoris notatu dignissima atque vtilissima plura de incongruis istis morborum diuisionibus et systematibus nosologicis recentiorum continet. Deinde typographus mortem viri doctissimi

ctiſſimi medicisque omnibus deſideratiſſimi enarrat, quae illum XII Cal. Ianuar. MDCCLXXXV. vix primum et ſexageſimum aetatis annum agentem fato praematuro ſuſtulit. Morbus lethiferus ex abſceſſu dextri renis et veſicae natus eſt labe celerrima doctiſſimum virum iugulans. Natus erat Tridenti in Cenomanis. Patauii et poſtea Bononiae medicinae ſtuduit, deinde apud Fauentinos in Aemilia medicinam per XX annos et cum laude plurima exercuit, ornatus tandem a CLEMENTE XIV. in Ferrarienſi Athenaeo profeſſoris medici munere, ſcutatorum ſeptingentorum ſalario annuo ipſi conſtituto. CAROLVS poſtea Firmianus, Ticinenſis academiae ſtudia e ſqualore reſtituere cogitans, BVRSERIVM vocauit, eique chemiae praxeosque medicae prouinciam demandauit. Spem tandem facit typographus, fore, vt reliqua Auctoris volumina de pectoris et abdominis morbis proxime edantur.

De capitis dolore in hoc volumine primum agitur. Cauſſa doloris ſubinde in ſanguine in ſinubus durae matris in polypos concreſcente ſita videtur, cadauerum inciſionibus hos ſaltim exhibentibus: ſubinde ſecundaria oculorum inflammatio accedit, atrociſſima, in ſuppurationem tranſiens. Vidit Noſter in virgine, quae hoc morbo laborauerat, ſuppuratis ante obitum oculo palpebrisque, cadauere inciſo omnia inter oculi integrum adhuc bulbum muſculosque pure referta cerebrique lobum anteriorem et ſiniſtrum vſque ad ventriculum eiusdem lateris ſuppuratione abſumtum. Dolor altius ſitus ex profundiore ſenſu cognoſci dicitur. Deinde ſigna doloris ſanguinei, ſeroſi, pituitoſi, a vermibus in ſinubus frontalibus, naribus, ſympathici, caet. enarrantur, nec non peculiarium eiusdem morbi ſpecierum, hemicraniae, oui, claui hyſterici. Difficillime dolor ab organico vitio aliquo natus cognoſcitur. Vi- p. 1.

V 2 dit

dit Noſter in viro, qui dolore capitis atrociſſimo, certo loco adſcripto, laborauerat, cyſtidem pure plenam inuolucro craſſo cinctam in dextro cerebri lobo, eodem in loco, vbi aeger acutiſſimum dolorem ſenſerat. Rubentem tumorem, ſteatomati ſimilem in dextro anteriori cerebri lobo vidit in ſene, quem febris crebro recidiua cum capitis dolore iugulauerat Mulier poſt ſcabiem retrorſum pulſam in cephalaeam atrocem incidit. Diſſecto cadauere, in medullari poſterioris cerebri lobi parte abſceſſus pure plenus inuentus eſt.

Curatio praeceptis nimis generalibus comprehenſa eſt. Hemicraniae quoad pathologiam atque curationem nulla ſufficiens mentio facta.

p. 53. *De hydrocephalo et ſpina bifida, ſiue aqueo ſpinae tumore.* Cauſſa, quae hydrocephalum efficit cum MORGAGNIO in infundibuli cerebri et glandulae pituitariae ſtatu praeternaturali ſita dicitur. Naſcitur itaque, ex Noſtri mente, id vitium, ſi pituitaria glandula aquae neque recipiendae, neque transmittendae amplius idonea eſt. — In bifida ſpina, ſub qua tumor quicunque aquoſus ſpinalis medullae intelligitur, aquae aut a cerebro deſtillant, aut in ipſa vertebrarum theca natae accumulantur. Omnia fere ſecundum MORGAGNII mentem expoſita ſunt, nec recentiores de hydrope cerebri et medullae ſpinalis obſeruationes notae Noſtro fuiſſe videntur. Ipſe Noſter, quae circa diagnoſin hydrocephali interni FOTHERGILL protulerat, exemplis confirmata vidit, vbi malum ſummum culmen attigerat, dolores capitis atrociſſimos, modo vniuerſim diffuſos, modo ad partem reſtrictos, coma vigil, artuum tremores, mentis emotiones, et, quod notandum maxime, aphoniam ſubinde recurrentem, pulſus raros, magnos, modo celeres, paruos, ſummopere varios.

Curatio

Curatio in eo conſiſtit, vt omnes excretiones promoueantur. Mercurialia, fatua adeo cinnabari non excepta, laudantur. Ad ſpinam bifidam ſetaceum commendatur.

Ad primariam *agrypniam* potus caffé laudatur.

De apoplexia. Varia auctorum nomina praeclare exponuntur. Cauſſae in quacunque eo comprehenduntur, quod vaſa menyngum aut cerebri nimium replere, diſtrahere, obſtruere, diſrumpere, dilacerare, arrodere, comprimere, adeoque circuitum humorum in cerebro turbare poſſit. Num autem ſanguinis a quacumque cauſſa inopia apoplexiae, aut potius animi deliquio intenſiori, origines dare poſſit, dubius Noſter haeret, nec ſatis tenet, an ex eiusmodi cauſſa occumbentibus apoplexiae definitio conueniat. Neque obſtructiones arteriarum praecipuarum, quae ſanguinem ad caput vehunt, hactenus demonſtratae ſunt. Nec ob cauſſarum ſummam varietatem, his poteſt aſſentiri, qui a cerebri compreſſione omnem apoplexiam deducendam cenſent.

p. 89.

Differentiae apoplexiae a Noſtro ſtabilitae hae ſunt: *vniuerſalis*, *particularis*, (quae tamen diuiſio ex ſequela morbi, paralyſi nempe, penitus hauſta eſt) *vera* atque *exquiſita*, *ſpuria* atque *leuior*. In oppoſito laeſioni latere vtplurimum ſymptomata ſeſe manifeſtant: laeſo tamen cerebello in eodem latere vtplurimum ſymptomata obſeruantur, quae non ſemper in reſolutione, ſed etiam in conuulſione ſubinde ſita ſunt, ſi nempe irritatio compreſſioni praevalet.

Deinde paralyſis ſecundum ſyſtematicorum placita mentemque enarratur. Vidit Noſter aliquoties motum reſtitui, ſenſum vero nequaquam. In hoc phaenomeno explicando forſan is propius a vero erit, qui neruos muſculis mouendis dicatos ſuam

p. 120.

vim acquisiuisse dixerit, non eos vero, qui ad cutim pertinent, siue quod eodem recidit, neruos fortasse, qui a spinali medulla originem habent, releuatos fuisse, eos non aeque, qui a nerui intercostalis trunco magna ex parte suppeditantur.

Caussales apoplexiae *diuisiones*, ad quas caeterae species omnes reduci possunt, tres sunt, apoplexia scilicet sanguinea, serosa et conuulsiua. Circa serosam apoplexiam probe notandum est, non semper aquas magna copia in cerebro profundi debere: sufficere paucam, irritandi potentia praeditam, cerebrum conuellentem, aut etiam subito, praegressis externis siue internis caussis validioribus, profusam. Conuulsiua duplex est, idiopathica sympathicaque. Illa a spasmis in cerebro ipso (at notae horum spasmorum desiderantur!), haec a spasmis remotas partes occupantibus oritur. Efficiunt hanc apoplexiam ex Nostri sententia spasticae contractiones ad arteriolas vsque minimas cerebri ita propagatae, vt spasmo contractis atque affectis iis commercium inter corticem atque medullam atque inter hanc et reliquas partes interrumpatur.

Prognosin quod attinet, sanguinea apoplexia periculosior est, quam serosa, vtraque haec, quam conuulsiua, quae post aliquot horas vtplurimum excretione quadam auctiore soluitur.

p. 170. Curatio secundum probatissimorum medicorum placita exposita est, et ita quidem, vt primum sanguineae apoplexiae curatio enarretur. Vomitus arte concitati in hac apoplexia noxae praeclare expositae sunt. Ipse Noster vidit saepius datum ab aliis emeticum, et vehementer doluit, hemiplegiam vel leuem et particularem apoplexiam ilico in validam et vniuersalem, fortem vero in mortem transiisse. Exempla felicis morbi, emetico dato, sanationis naturae adscribendae sunt validae, nec aduersa medici-

na

na ſemper opprimi patientis. Nec a ſympathico vomitu, crebro poſt apoplexiam ingreſſam naſcente, ad vomitum arte concitandum indicatio ſumenda eſt; is enim a cerebro turbato oritur.

Alcali volatile recentioribus decantatiſſimum (quod adhibitum a nobis in ſeroſa apoplexia *manifeſte* nocuit) ad apoplexiam et mortem apparentem a vaporibus mephiticis tantum commendatur. Tandem ad ſoporoſos effectus, paralyſin vniuerſalem, particularem, medicamenta ex probatiſſimis auctoribus proponuntur.

De catalepſi, ecſtaſi et ſomnambuliſmo. Catalepſis in perfectam, rariſſimam, et imperfectam ſpuriamue diuidi debet, in qua catalepſeos generatim quidem ſymptomata eminent, morbo vero aliquid adſociatum eſt, quod perfectae catalepſi non conuenit. Proxima catalepſeos cauſſa liquidi neruoſi in nonnullos neruos influxus, quies vero in omnibus aliis eſſe videtur, et quidem talis, vt aliqua actio in neruis, qui muſculis voluntario motui addictis inſeruntur, permaneat, ſenſorium vero commune, conſopitum quaſi conquieſcat. Spuriae catalepſi ecſtaſis etiam adſcribenda eſt. p. 197.

Somnambuliſmus in vulgarem et furibundum diuiditur, isque ille eſt, in quo poſt breuem ſomni aut ſtuporis ſpeciem homo ſtatim non conſueta munia obit, ſed inſolita et quaſi praeter conſuetudinem et furentis in modum aggreditur facere. p. 214.

In catalepſeos paroxyſmis a quibuscunque medicamentis calidioribus et acrioribus cauendum eſt, praeſertim ſi a cauſſa irritante ortum duxerit. Ipſe Noſter catalepſin furibundo ſomnambuliſmo complicatam in virgine curauit ſanguine ex vena iugulari emiſſo. Extra paroxyſmum curatio pro cauſſarum diuerſitate, earumque notis inſtituenda eſt.

p. 228. *De sphacelismo cerebri* HIPPOCRATIS, *siue cephalitide.* Morbus est, de quo recentiores raro scripsere, at veteribus notissimus, a Nostro saepius visus. Acutus dolor occiput praesertim excruciat ad colli vertebras atque ad vniuersam dorsi spinam protensus, comitante ardentissima febre, sensum ita obruente, vt saepe etiam potum aeger non cupiat. Simul facies sanguine turgida, oculi fixi, prominentes, stupor, surditas, loquelae difficultas, sensus interceptus, delirium anxium, tandem languor, insensibilitas, mors apoplecticorum. In pueris saepius vidit Noster resolutionem vnius lateris aut opisthotonum, aut motus conuulsiuos aliqua in parte, inprimis circa faciem, mortem praecedere. Tertio aut quarto morbi die aegri vtplurimum moriuntur. Spem, si qua superest, pollicetur narium haemorrhagia larga. Cadauera cerebri, cerebelli corruptionem, sphacelum, abscessum, suppurationem, exhibuerunt. Sexennis puellae hoc morbo extinctae cadauer haec exhibuit: Dura mater cranio adhaerens sanguine plurimo vasa distenta obtulit. Pia mater solido durior, vix discindenda. Externa cerebri superficies corrupta, putrida, coloris plumbei fuit, intacta vero, quantum per sensus explorari poterat, medullaris substantia. In reliquo cerebro nil praeter naturam.

Differt morbus a phrenitide et natura, et phaenomenis. Sphacelismus enim in dolore capitis repentino et acuto cum dolore consistit. Differentia etiam eiusdem morbi ab aliis, cognatis, probe notata est.

p. 244. *De delirio variisque eius generibus.* Primum de phrenitide, maxima ex parte secundum medicorum aliorum placita, agitur. Propria tamen Nostro quodam modo phrenitidis diuisio in veram spuriamque est, gradu delirii a vera differentem, nec non

diuisio

diuiſio vtriusque in ſanguineam, ſeroſam, mixtam. Sanguinea in eam, quae phlegmonoſae inflammationi, et in eam, quae eryſipelatoſae accedit, diuiditur. Seroſae altera a viſcido, craſſo et mucoſo humore, altera a lympha tenuiore oritur.

Paraphrenitis diaphragmatis inflammationem non ſemper comitem habet. Vidit ipſe Noſter in viro, quem diaphragmatis inflammatio ſubito iugulauerat, ſingultum quidem, at nequaquam delirium.

De *mania* et *melancholia* vix, niſi iam aliunde nota, proferuntur. Camphora in vtroque morbo Noſtro tunc tantum prodeſſe videtur, ſi ſenſibilitas neruea tantum excedere videtur, non vero irritabilitas. Opium etiam maniacis plurimum profuit.

Altera tertii voluminis pars haec continet: P. II.

De neruorum diſtenſione et rigore. Species ex auctoribus copioſiſſime enarrantur. Cauſſa omnium proxima eſt violenta atque inuoluntaria muſculorum contractio, ab *irritabilitate Halleriana* praeter naturam aucta, aut in antagoniſtis minuta pendens.

Tetani ſedes in cerebro, frequentior tamen in medulla ſpinali eſt. — Epilepſiae ſubinde inſultus tam diuturnae durationis ſunt, vt Noſter iuuenem ſacerdotem viderit, inſultibus huius morbi atrociſſimis, per XX horas durantibus vexatum. — Imperfecta epilepſia Noſtro eſt, quae cum aliquarum tantum partium motu clonico fit, aut in qua non omnes ſenſus, nec omnino, ſuppreſſi ſunt. p. 23.

Ad conuulſiones puerorum a dentitione difficili ipſe Noſter liquore cornu cerui ſuccinato vtiliter vſus eſt (nos non aeque). Si a retrograda materia, quae exanthematum forma cutem occupauerat, ortae ſunt, praeter antiſpaſmodica dari iaceae tricoloris puluis debet, qui vim certe poſſidet, qua cruſtae lacteae materies extrorſum propellitur. — In tetani

curatione ab opio nimia dosi dato, noxas saepe vidit Noster tales, vt adeo cum morbo aegri simul vita exstingueretur. Tetanum vniuersalem sympathicum vidit ex vulnere in metatarso pedis, quod sibi falce inflixerat rusticus quidam, iusto citius coalito. Huic profuit inprimis balneum aquae calidae et vulneris apertio ac renouatio, vt pus aut ichorem contentum effunderet. — Confirmatam numerisque absolutam omnibus Sti Viti choream in puella duodecim annorum, quae ante aliquot annos eodem morbo diu laborauerat, solo florum zinci vsu tuto, cito ac iucunde curauit. Cinnabaris natiua inter specifica epilepsiae ceu efficacissimum resolvens, admodum laudatur, multum etiam virium visco querno tribuitur. Mercurius dulcis, aliaque praeparata mercurialia epilepsiam saepius sustulerunt. Specifica copiose, at absque obseruatione propria, enarrantur. Semper tamen in curanda epilepsia corpus vniuersum mutare medicinis, quam epilepsiae specificis obstare, conuenit.

p. 102. *De vertigine.* Caussam eius proximam quod attinet, ad summum cum probabilitate quadam dici potest, in vertigine modo lentem crystallinam fortasse aliqua adhuc ignota caussa obliquam reddi, inclinari aut inaequaliter commoueri, modo bulbum oculi a musculis inaequaliter et spastice contractis aliquam figurae et positus mutationem subire, modo retinam, neruum opticum, cerebrum ipsum neruosque auditui, tactui, motuique inseruientes ita affici, vt in spasticis conuulsiuisque morbis afficiuntur. — In curatione stercus etiam pauonis inter specifica recensetur.

p. 114. *De ophthalmia aliisque oculorum vitiis.* Ophthalmiae historia atque curatio vix debite et concise nimis, omissis pluribus, quae ad cognoscendum et curandum morbum pertineant maxime, et ex aucto-

ribus

ribus tantum enarrata eſt. Deinde pterygion, onyx, hypopyon, corneae maculae et puſtulae breuiter, nec tyronibus vtiliter ſatis pertractantur.

Nec in ſuffuſione enarranda fere copioſior eſt. Imo contra medicorum oculariorum mentem ſuffuſionem lacteam, purulentam, cyſticam, ſpuriam vocat. Nec fidae obſeruationi reſpondet opinio Noſtri, qua adſeritur, immobili exiſtente pupilla viſum recuperari nullo modo poſſe. Medicamenta interna ad ſuffuſionem tam auertendam quam curandam laudantur plurima, quae tamen, certa medicorum oculariorum obſeruatione, vix vnquam probatos ſucceſſus ediderunt. Ad maturitatem cataractae etiam plurimum reſpicitur, quam Noſter tunc adeſſe dicit, ſi viſionis obſcuritas non amplius increſcit adeoque ad ſummum ſuum gradum peruenit. Tunc, vt fructus e ſuo pedunculo, ſic ipſa e ſua ſede cataracta facile excuti poteſt. — Depreſſio extractioni generatim praefertur: verum antiqua DAVIELIS methodus cataractam extrahendi tantum nota Noſtro eſſe videtur.

De grauedine, coryza et phlegmatorrhagia. Prioris morbi cauſſa proxima videtur congeſtio ſanguinis et ſeri in vaſis, cellulis folliculisque membranae pituitariae et adſitarum partium, non raro ad leuem inflammationem accedens. In coryza ſecretoria vaſa et mucoſi folliculi magis affecti ſunt. In phlegmatorrhagia frontales ſinus mucum copioſius demittere videntur. Curatio antiphlogiſtica et leniter diapnoica eſt. p. 170.

De *narium haemorrhagia* capitulum ſuetam curandi rationem complectitur.

Otalgia in inflammatoriam et non inflammatoriam diuiditur. Subinde folliculi ſebacei, ſiue glandulae, a quibus cerumen aurium ſecernitur, alicubi obſtruuntur et tuberculum aliquod formant, quod, p. 190.

ſi

ſi inflammationem contrahit, otalgiam excitat et facile abſcedit. — Surditas, ſi vllo modo curabilis eſt, gargariſmatibus reſoluentibus, acribus, optime curatur, praeſertim ſi a ſeroſo vitio nata eſt.

p. 207. *Dentium dolore* pertractato, tranſitus ad tumores glandularum parotidum et maxillarium, vulgo *orecchioni* dictorum eſt. Eſt autem hic parotidum et maxillarium glandularum tumor, quando hae partes repente intumeſcunt et dolent, nec diu, nec grauibus, aut ſaltem non periculoſis ſymptomatibus, ſi recte curentur, ſtipantur, breuique et perfecte reſoluuntur. Puerorum maxime morbus eſt, in Germania quoque frequens, epidemicus, neque tunc adultis parcens, Galli *oreillons* dicunt. Plerumque hyeme, ſaepius vere, poſt ſubitas aëris mutationes homines inuadit. Parotides primum intumeſcunt cum tenſiuo dolore et absque colore cutis mutato. Simili modo deinde maxillares etiam glandulae afficiuntur. Tumor mole varius et figura eſt. Febrem mitior tumor non comitem habet et ante ſeptimum diem reſoluitur. Si grauior eſt, febrem vtplurimum remittentem comitem habet. Tunc vero etiam morbus antiphlogiſticis et eccoproticis facile cedit. Detumeſcente tumore, facile eius materies ad teſtes defertur, quo caſu cum ſcroti tumore teſticuli phlegmone vera corripiuntur, cum intenſa febre. Haec metaſtaſis ab HIPPOCRATE iam viſa a Noſtro Fauentiae frequenter obſeruata eſt, nec vnquam tumor in ſuppurationem tranſiit debita antiphlogiſtica medicina adhibita. In feminis pari modo morbus ad inguina transfertur. Progrediente et inclinante morbo plurimi vomitum copioſum experiuntur, qui antiſpaſmodicis vtplurimum cedit et a ſpaſmo oritur, in iis praeſertim, qui metaſtaſin ad inguina non experti ſunt. Aliis ad caput metaſtaſes,

ſes, hemicraniam excitantes, fiunt, aliis hydrops, eodem modo, quo poſt ſcarlatinam, ſuperuenit.

Morbus eruptiuus eſſe et ad exanthematicorum genus pertinere videtur. — Neminem vnquam ex hoc morbo periiſſe conſtat. (Morbum hunc in Germania, vt iam dixi, frequentem et ipſe paſſus ſum. Nomen illi in Saxonia noſtra eſt *Ziegenpeter*, forſan eam ob cauſſam, quoniam lanae ſuccidae impoſitae facile cedit. Febrem ingentem vtplurimum ſociam habet, at periculi expertem, catarrhoſam. Neque vlli, quantum ego noui, funeſtus eſt, quam ob cauſſam etiam noſtrates medicum raro in conſilium vocant, ſpe freti, vt morbus, externo auxilio dicto adhibito, potoque infuſo theiformi ex herba quacunque diapnoica, facile cedat.)

Linguae inflammatione breuiter pertractata, de *angina* fuſe ſcribitur. Probe notatur, ſubtilem iſtam anginae diuiſionem quoad ſedem, ſi vnquam, raro tamen, locum habere, enarrantur tamen anginae pharyngeae et laryngeae atque trachealis ſymptomata. Deinde, pro cauſſarum diuerſitate ſtabilita diuiſione, angina inflammatoria, catarrhoſa, ſeu aquoſa atque gangraenoſa maligna pertractantur. p. 230.

Eſt etiam anginae vlceroſae benignae ſpecies, gangraenoſae affinis quidem, quam febris non magna praecedit et ephemerae ſimilis, et in qua albae, exiguae atque dolentes puſtulae obſeruantur, ſcorbuticis praeſertim atque cacochymicis familiaris. p. 303.

Angina trachealis, ſiue cynanche *the croup* ab Anglis dicta, copioſiſſime deſcribitur. Aliae deinde anginae ſpecies, *conuulſiua* BOERHAAVII, *paralytica*, ad quam plures deglutitionis interceptae ſpecies referendae eſſent, *Valſaluiana*, quae ab oſſe hyoide luxato ortum ducit. In hac, quam et Noſter ipſe vidit, diagnoſtica ſymptomata haec ſunt: Nil cibi potusue aſſumi aut deglutiri poteſt. Interdum ſummi

mi et crebri deglutiendi conatus accedunt, quasi globus in faucibus esset. Larynx e sua sede deiectus et velut incompositus apparet. Tumor inter hunc et musculum sterno-mastoideum cernitur, eoque loco, quo eleuatio est, si contrectetur, dolor percipitur. Reposito hyoide osse omnia in pristinum statum restituuntur, quod additae VALSALVAE, MOLINELLII Nostrique obseruationes probant. Tandem dentis euulsi et in asperam arteriam illapsi historia memorabilis enarratur.

XX.

De vasis cutis et intestinorum absorbentibus plexibusque lymphaticis peluis humanae annotationes anatomicae cum iconibus, auctore IOANNE GOTTLOB HAASE, Med. D. anatom. et chirurg. in academia Lipsiens. Professore publico ordinario. Lipsiae, apud Iunium. MDCCLXXXVI. in fol. cum tabulis aeneis quatuor consummatissimo studio a I. L. FISCHER, in theatro anatomico Lipsiensi prosectore, ad naturam delineatis atque aere sculptis. 11 plagg.

Anatomicorum studium postquam a neruorum doctrina ad vasorum absorbentium genus transiit, illius amor clarissimum auctorem et de re anatomica Lipsiensi meritissimum in laborum societatem traxit. Maxime autem animum ad scribendum excitarunt experimenta, quae exspectationi respondebant, et, compulso mercurio in ipsa cutis vasa globulisque eius in eorum absorbentes radices et ad corpus reticulare vsque coactis, spem longe superabant. Indeque natae sunt hae, quas nobis obtulit

et ex variis cadaueribus collegit, obſeruationes ſummo ſtudio et miranda penitus diligentia factae.

Diſputationem autem ſuam, Lipſiae 1778. editam *de motu chyli et lymphae glandulisque conglobatis* cum nouis ſuis experimentis ac laboribus comparaſſet, in ea multa eſſe intellexit, quae dilutius ac clarius nunc, poſt tot experimenta, exponi poſſent, alia vero, quae mutatione, illuſtratione, emendatione, egeant. Eaque omnia in altera libri praeclari ſectione diligenter, pro experimentorum ratione, copia, certitudine expoſita ſunt.

Prima ſectio *vaſa cutis et inteſtinorum abſorbentia plexusque lymphaticos peluis* exhibet. Primum proponitur *vaſorum lymphaticorum repletio* mercurio facta. Hydropicorum cadauera eiusmodi experimentis maxime, obeſorum minime, conueniunt. Lymphatica vaſa, vt in crure et brachio a Cl. Auctore obſeruata ſunt, fila longiora referunt, venis ſaepiſſime appoſita, aequali fere diametro verſus glandulas procedentia, tenuia admodum, et, ſi per interuallum aliquot pollicum ſeparantur a partibus proximis, aliquid glanduloſae ſubſtantiae iis adiectum eſt. Eiusmodi lymphaticum canalem a latere ſaphenae venae magnae deprehenſum incidit Cl. Auctor, eique vitreum cylindrum cauum, cuſpide e chalybe parata et diametro vaſis apta immiſit. Cauendum in inciſione vaſis diligenter eſt, ne pars eius poſterior ſimul incidatur, quoniam mercurius, vaſe non excipiendus lymphatico, tunc in telam celluloſam effunditur. Indeque etiam inſtrumentum eadem directione orificio inſerendum eſt, quae ipſi vaſi eſt, ſaltim eo reſpiciendum, vt cum vaſe inſtrumentum angulum ſatis magnum efficiat. Eleuato cadaueris pede hoc modo, vt angulus inter eum et truncum obliquus eſſet, et pelui ab inferiore parte verſus pectus non nihil elata, effectum eſt, vt tres fere librae mercurii per tubum

bum vitreum ſenſim, trium horarum ſpatio, in corpus ſubreperent. Si ad inguinales glandulas pervenit mercurius, tardius paulo illius iter eſt, ob vaſorum in glandulis anfractus: his vero ſuperatis celerius iter ſuum emetitur, tandemque, niſi motus interrumpitur, ad ductum thoracicum peruenit atque ad ipſam vſque ſubclauiam venam accedit. Mercurium ſane Noſter, in ſuis experimentis, non ſolum in pectoris, ſed in abdominis etiam venis reperit.

p. 5. Iniectione anatomica feliciter abſoluta, Noſter cutem iniecti femoris ſtudioſe cauteque incidit. Nonnulli trunci lymphatici ſublimiores et cuti propiores ſtatim ſeſe obtulerunt, inter quos quidam cum cute prorſus vniti erant. Hi preſſi mercurium in lateralia atque reticularia vaſa copioſe demiſerunt, quae vero, ſi vrgeretur preſſio, ſenſim euaneſcebant, mercurii globulis ſimul in cuticulae ſuperficie haerentibus. Eaque vaſa abſorbentia fuiſſe et id confirmabat, quoniam cuti, qua vaſcula haec continebantur, craſſities vix maior, quam tenuis chartae ſcriptoriae, erat.

Vaſa lymphatica tam ſupernorum articulorum, quam infernorum, vel ſuperficialia, vel profunda ſunt, inter illa autem alia ſuperficialia ſunt et cuti adnata, alia muſculis propria. Super genu decem, ſedecim, pluresue trunci adſcendentes cernuntur; decem circiter in ſuo cadauere Noſter inuenit, longe plures MASCAGNIVS. In pelui quinque plexus lymphaticorum vaſorum numerat, quorum primum obturatorium nominat, vaſis maioribus conſtantem, quae glandulas, vaſis obturatoriis ſanguiferis neruoque cognomini circumpoſitas nunc intrant, nunc egrediuntur, vt ſe aliis inſinuent, quae a latere interno arteriae iliacae externae deſcendunt. Alter plexus iſchiadicus eſt, ab iſchiadica inciſura magna, cui appoſitus eſt, ita dictus. Is cum obturatorio vaſa demit-

demittit, quae ab interno latere arteriae hypogastricae et pudendae communis in truncos colliguntur, qui partim ad lumbares glandulas abeunt, partim ad locum bifurcationis maiorum vasorum attolluntur, et cum illis oppositi lateris anastomosi iunguntur. Tertius plexus iliacus internus est, quem arteria iliaca externa et hypogastrica intercipiunt. Iliacus externus, qui quartus est, locum inter arteriam venamque iliacam externam et psoam musculum habet. Quintus, ex quarti truncis ex parte formatus, hypogastricus est, qui in loco bifurcationis vasorum maiorum, aortae videlicet atque venae cauae, reperitur, vasaque simul a plexu iliaco externo atque interno recipit. Omnium plexuum hactenus memoratorum vasa ante truncum aortae diuisae venaeque cauae adscendunt et plexuosa tela cum glandulis, ante aortam et venam cauam reperiundis, copulantur. Iique plexus cum originibus suis, decursibus, anastomosibus, vsque ad insertionem in subclauiam venam iconibus additis apposite illustrantur. Lymphatici riuuli viscerum omnium abdominalium atque thoracicorum, si tandem in communem canalem confluunt, is a vertebra lumbari secunda et prima per abdomen et thoracem ad insertionis locum dirigitur.

Quaestionem nunc mouet Cl. Auctor, vndenam prima exteriorum vasorum inhalantium siue absorbentium cutis lymphaticorum origo sit deriuanda. Triplicis generis pori in cuticula sunt ponendi, quorum alii ad vaginas pilorum, alii ad folliculos glandularum pertinent, alii demum perspirabilem materiam efflant et tenues particulas reabsorbent. Externae horum vasorum partes in confiniis cutis et corporis reticularis MALPIGHII ita ponit Noster, vt ea sorbentibus osculis a reticulari membranula epidermidis incipiant. Hae radices e papillulis vil- p. 13.

lisque cutaneis natae tandem in trunculos cutaneos, ſubcutaneos confluunt. — Lacteorum vaſorum origines a cauo membranaceo ex villoſa inteſtinorum tunica deducuntur, ſimilitudoque in his quaedam inter vaſa lymphatica cutis, etiam quoad rete, quod formant, intercedit. Decurrunt vaſa lactea, poſtquam e villoſa tunica per neruoſo - celluloſam et muſculoſam penetrarunt, inter hanc, et membranaceam a peritoneo natam ita, vt magno, et fere longitudinali arcu arterias et venas inteſtini decuſſent, neque eandem cum vaſis ſanguiferis directionem habeant.

p. 17. Altera ſectio diſſertationem *de motu chyli et lymphae glandulisque conglobatis* iterum editam, emendatam, multum auctam et cum nouis experimentis et iconibus collatam exhibet. *Ampullae*, in villoſa inteſtinalis tubi parte, quas negauerat in diſſertatione ſua, *poſt* experimenta Cll. virorum CRVIKSHANK et SHELDON ſtatuuntur, diſſentit vero Noſter a LIEBERKÜHNIO, qui has ampullas primum deſcripſit, in eo, quod motum periſtalticum inteſtinorum pro motus chyli in ampullulam cauſſa non agnoſcat, quoniam huius motus vis tanta cogitari vix poteſt, quae chylum in anguſtam ampullulae aperturam vrgere poſſit, neque aliorum humorum exempla deſunt, qui aliis, quam preſſione, cauſſis in corporis interiores partes ſuſcipiuntur. Cauſſa potius, quod chylus in vas lacteum intret, non alia eſt, quam vis illa capillaribus lacteis indita vaſis, qua, quidquid fluidi orificiis applicatum eſt, attrahunt, tamque longe a cauo inteſtinali remouent, quam diameter vaſis diametrum capillaris canalis non excedat. Eadem vis etiam lymphatico vaſi cuique tribuitur, qua humorem in cellulis cauisque contentum abſorbeat. Ad eamque abſorbendi vim vita et irritabilitas praeſertim conferunt, quibus efficitur, vt tuborum capilla-

capillarium more tam obliquo, quam perpendiculari situ, liquidum absorbeant. Tenacitas etiam absorbendorum liquorum efficit, vt a sugente canale facile suscipiantur.

Chyli resorpti propulsio tum a noua portione resorpta, tum a propriis, in ipsa vasis structura positis viribus repetenda est, valuulis inprimis retrogradum motum praepedientibus atque motu quoque eodem tenore, quo vas amplius euadit, progressiuo faciliore reddito. Irritabilitas praeterea, qua pollent, non obest, quin putemus, haec vasa ex fibrosa substantia conflari, quae cum musculari plurimam similitudinem habeat. Circa conglobatas glandulas experimenta instituta suadere videntur opinionem, glandulas istas nil aliud, nisi vasorum lymphaticorum copiosissima anastomosi coniunctorum plexus esse, eorumque fabricae auxilio lympham, per tot angustos atque toties flexos canales prouectam, ad futuros vsus praeparari, neque aliud liquidum cum ea commisceri, nisi lymphaticum, illi simile prorsus, quod ex cellulosis partibus aduenerit. Praeter dictam autem vtilitatem hae glandulae hanc adhuc habent, vt liquidum e cellulis corporis resorptum attenuent et ad multiplicis generis officia praeparent. Ipsa etiam lympha facile in cellulis spissescens, cum vtilis absque tenuitate esse non possit, hanc ad glandulas deuecta in iisque praeparata acquirit. Sanguis in parte quadam, magna etiam copia profusus, pus laudabile bonumque, sanies, ichor, materia variolosa, per lymphatica vasa, et paulo quidem vtplurimum tardius, vt ecchymoses vix statim resoluendae probant, plurimaque phaenomena alia, resorbentur.

Resorptionem vasorum resorbentium et ostiorum et laxitas, et rigiditas impedit, pressioque in maiorem truncum, quae, ne deuehi ad communem p. 28

 canalem

canalem materies possit, impedit. Grauissimum autem resorptionis impeditae symptoma, si chylum spectes, fluxus coeliacus est, si lympham, hydrops.

XXI.

Journal de médecine, chirurgie, pharmacie, etc. dédié à Mr. FRÈRE DU ROI. Tome LXVI. à Paris, chez Didot le jeune. 600 pagg. Tom. LXVII. 612 pagg. Tom. LXVIII. et LXIX. 1786.

i. e.

Diarium ad medicinam, chirurgiam et artem pharmaceuticam faciens.

Plurimum, vt iam a nobis notatum est, augmenti et ornamenti accessit operi huic, medicis, qui nosocomiis ciuilibus in Gallia praesunt, obseruationes suas medicinales et nosocomiorum ipsorum descriptiones in hoc diario publici iuris ab anno inde MDCCLXXXV. facientibus. Quem laborem hi medici sub auspiciis Cll. virorum COLOMBIER et DOUBLET tam diligenter continuarunt, vt singula pars notabiliter aucta magnitudine sit atque tres partes quoque anno in lucem prodeant.

Ianuarius.

Tom. LXVI. *Obseruationes in nosocomiis ciuilibus factae.* Praemissis generalioribus quibusdam de obseruationum in nosocomiis institutarum vtilitate, nec non de obseruationibus in iis probe instituendis, nosocomia, quae Meloduni exstant, describuntur, auctore LE BRISE-ORGEUIL.

Constitutio anni MDCCLXXX. in nosocomio Sti Sulpitii Parisino obseruata. Aestate atque autumno anni MDCCLXXIX. ob continuum aërem humidum atque pluuiosum morbi putridi, maligni, dysenterici

enterici per plures Galliae prouincias grassati sunt. Parisiis etiam hi morbi copiosi satis fuerunt, non tamen per populum grassati sunt. Ineunte anno MDCCLXXX. catarrhi epidemici populariter saeuierunt, pituitosi vtplurimum, attamen etiam subinde cum plurima irritatione coniuncti. Inualescente postea frigore plurimum irritationis catarrhis adiunctum erat, lenientibus medicinis sanandis. Eos sanguinis sputa exceperunt, potionibus oleosis et laxantibus cedentia, et pectoris viscerum inflammationes atroces, febribus postea remittentibus, biliosis, iunctae. Martio mense putredo huic morbo subnata vesicatoriis suris appositis praefocata est. Plures tamen aegri phthisi pulmonali, colliquatione humorum et pectoris hydrope necati sunt.

Pectoris hydrops duplici modo aegrotantes inuasit. Alii lentum morbi progressum experti sunt, alii subitaneum: hinc et duplex hydrops pectoris constituitur, *lentus* nempe atque *acutus*.

Lento pectoris hydrope affectos catarrhus primum diuturnus, spirandi difficultas, et corporis habitus leucophlegmaticus detinuit. Omnes ponderis sensum in sterni regione et insignem lassitudinem experti sunt. Brachiorum oedema subnascens aquas in pectore vehementer cumulari semper indicauit.

Acutos hydropes pectoris antiqui catarrhi pariter praecessere. Praegressis autem symptomatibus fere omnibus pectoris hydropis lenti, aegri spirandi difficultate intensiore correpti in febrem cum signis peripneumoniae coniunctam incidunt, qua tandem, praegressa anxietate ineffabili, necantur. — Cadavera vtroque hydrope extinctorum exhibuere pulmones pleurae adhaerentes, scirrhosos, atque ex parte exesos. Acuto hydrope extincti alterum vtplurimum pulmonem sanum habuerunt. Morbus

vix medicamento ſanabilis ceſſit aliquando alui fluxu critico ſubnato. Plurimum ad leuandum morbum veſicatoria brachiis impoſita valuerunt.

p. 25. Vere ineunte rheumatiſmi et profuſiones biliosae per populum graſſatae ſunt, poſtea continuae febres, ardentibus ſubinde accedentes, rheumatiſmi diuturni, ſanguinis ſputa, aliaeque ad pectus defluxiones. Peripneumonia haud raro in paraphrenitidem tranſiit lethiferam. Cadauera pulmones gangraena affectos atque aquas ſanguine tinctas in vtroque pectore profuſas exhibuerunt. In quibusdam delirium natum eſt, dum morbus iam in ſuppurationem tranſierat.

Malignae febres eodem vere graſſantes, aliae acidis atque volatilibus antiputridis, aliae euacuantibus ceſſere, indeque regula eruitur, dari etiam malignas febres purgantium repetitorum vſu ſanabiles.

p. 34. Aeſtate dyſenteriae antiphlogiſticis purgantibus, rhabarbaro, ſubinde venaeſectioni cedentes, aliaeque febres ex remittentium genere graſſatae ſunt.

Autumnale aequinoctium, praeter intermittentes febres atque humorales paralyſes, febres eryſipelatoſas, rheumatiſmos frigidos atque tumores in abſceſſus tranſeuntes attulit.

p. 42. *Obſeruationum prima bubonocelen complicatam* exhibet, auctore JOYAND. Hydrocele ſimul aderat. Aquis aliquoties eductis, aeger tandem e vita deceſſit. Teſticulum tres libras pondere ſuperantem carcinomatoſum, partesque vicinas ſphacelo affectas cadauer exhibuit.

DOLIGNON *de vulnere ſclopeto inflicto.* Oſſis humeri caput, ſcapula, clauicula fracta. Sanata omnia.

VERMANDOIS *de quibusdam articuli femoris cum innominato oſſe chirurgicis morbis.* Fuſa tractatio de luxa-

luxatione offis femoris, colli offis femoris fractura, caet. Omnia in luxatione reponenda eo redeunt, vt iuftus laefi articuli, dum reponitur, fitus fit. Ad collum offis femoris fractum fanandum ligatura coriacea, valde refiftens, partibus continendis apta, praecipitur. Tandem de amputatione offis femoris exarticulo fermo eft, quam merito funeftam atque reformidandam Nofter putat, qui, fi femoris caput carie exefum aut alio modo laefum eft, ferra laefum caput refcindendum, fimulque femur feruandum cenfet. Experimentis in canibus inftitutis probat, curationem hanc fat feliciter fuccedere. Experimenta alia, quorum pariter fucceffus felix fuit, et in quibus nouus adeo articulus generari vifus eft, nos nuper alio loco *) produximus.

HERAIL *de peregrino quodam corpore in vrethram illato, quod ad perinaeum vfque peruenit*, obferuatio fatis mira. Incifione in perinaeum facta furca extracta eft corneo manubrio inftructa 4′ 9″ lin. longa, cruribus inter fe fex linearum fpatio diftantibus.

HERSENT *de vteri infarctu.* Tumor poft diarrhoeam verminofam, putridam remanens, verum in grauida duorum menfium antea iam natus, purgantibus pilulis FVLLERI et femicupiis ceffit. (Non notauit Nofter, quem euentum grauiditas habuerit. Vermes copiofe medicina purgans depulit, indeque fat credibile eft, tumorem non in vtero, fed in inteftinali tubo fedem habuiffe, ex vermibus et pituita conflatum.) p. 81.

Nouum vteri retroflexi exemplum, auctore DESGRANGES. Signa pathognomonica huius affectionis fatis bene expofita funt, partes genitales tumidae, fumme fenfiles, vrethra admodum retracta, ita

*) Vid. Comment. noftr. Vol. XXIX. Part. I. pag. 124.

vt eius orificium fub arcu offium pubis retractum vix poffit detegi, atque fiftula vrinae emittendae idonea difficulter immitti, protuberantia a pofteriori vaginae vterinae latere, ob vteri fundum verfus rectum inteftinum retroflexum, in cunno formata.

TOUTANT BEAUREGARD *hiftoria pueri, cui inteftinum rectum deerat.* Alta incifio data opera facta ano reftituendo nihil contulit. Suafit Nofter fecibus exitum, ano artificiali facto, parare, at repudiatum a parentibus confilium eft. Extifpicia colon inteftinum fuperne in faccum terminatum et tam tumidum exhibuere, vt colon vfque ad locum ano artificiali aptum pertingeret.

DOLIGNON *de monftrofo puero, cui cerebrum craniumque deerant.* Rudiore paululum calamo anatome defcripta eft.

PHILIPPE *de aquis medicatis Naerenfibus.* Fufa defcriptio. Limpidae funt, infipidae, odoris expertes, tepidae. Continent terram abforbentem, mucofam, Glauberi falem, tartarum vitriolatum, falem marinum et falem alcalinum mineralem.

Februarius.

p. 193. *Topographia oppidi Nemofii* (Nemours) *et nofocomii, quod ibi eft,* auctore ROSE. Oppidum collibus faxofis rupibusque vndique cinctum, crebris inundationibus expofitum, etiam ob canalem, qui oppidi partem alluit, Sequanam Ligeri coniungentem. Febres putridae, biliofae communem maxime morbum conftituunt. Dentibus Nemofinus aër inprimis perniciofus, adeo vt confumtis gingiuis, peregrinis praefertim omnibus, nigrefcant, exedantur. Coriariorum officinae plurimae fanitati admodum obfunt, putridis febribus occafionem praebentes. Ipfi quoque coriarii anthrace, panaritio, febribus putridis, malignis, inflammationibus eryfipelatofis, tumori-

tumoribus aquosis partium infernarum, hydrope, caet. frequenter afficiuntur, nec facile senescunt. Pueris dentes difficulter prorumpunt. Puellis plurimis, cum ad decimum vel duodecimum aetatis annum perueniunt, dorsalis spina curuatur, in pueris idem formae dehonestamentum admodum rarum est. Variolosus et morbillosus morbus oppidanis raro periculosus est, plurimum taedii tussis conuulsiua adfert, ad quam varia medicamenta, pro diuersa constitutione temporum, oleosa praesertim atque opiata, laudantur.

De febre puerperarum variorum obseruationes in nosocomiis factae. Prima, auctore LA PEYRE, historiam mulieris exhibet, quae puerperio superato in febrem continuam, eaque decurrente in hydropem anasarca incidit, parum raro certe euentu, neque lacti sane adscribendo, sed potius puerperio, magnae humorum profusioni, caet. Altera, auctore LE BRISE-ORGUEIL, eiusdem farinae est. Natus pone anum abscessus in muliere, quae tertio post partum die in febrem continuam remittentem inciderat, eam ob caussam lacti tribuitur, quod parum lactis in mammis secretum fuerit (id vero in cuiuscunque febris decursu admodum naturale est,) et pus lacteum colorem habuerit. Tertia, auctore DUFAU, febris inflammatoriae abdominalis historiam continet, emetica medicina exasperatae et forte ad mortem perductae. Inciso cadauere inflammata omnia in abdomine, gangraenosa plurima. Humor profusus subruber, *quem pro lacte habere* Noster non dubitauit, inprimis quum coagula quaedam in illo fluitarent, intestinis etiam et viscerum lateribus adnata. (Haec iterum probant, quam inconstans, vaga, incertaque febris vere puerperalis a lactis metastasi oriundae notio sit, et quantopere hi errent, qui, dum febrem p. 224.

vident et lac interceptum, ſtatim morbum pro a lacte inducto habent. Sane, ſi haec non *putaſſet* Cl. DUFAU, nec aegrae, in qua viſcerum abdominalium inflammatio *primaria*, non *ſecundaria* erat, emeticam medicinam praeſcripſiſſet, omnia forte aliter euaſiſſent.)

p. 244. BALME *obſeruationes de morbis, qui nullo modo nec praeſagiri nec cognoſci, nec ſanari poterant.* Lectu digniſſimae ſunt et ſumme memorabiles. Puella in languorem ſenſim incidit, oris quoque colore mutato. De dolore per interualla in infimo ventre et ſtomacho conqueſta eſt. Tandem conuulſa, absque omni ſtomachi dolore, periit. Inciſo cadauere cerebrum ſaniſſimum, ſana omnia alia viſcera, ventriculo excepto, qui in inferiori parte, vbi omento adhaeret, perforatus foramen tres pollices latum, in marginibus non inflammatum, ſed putredine quaſi maceratum referebat. — Vir per triginta annos aſthmati partim humorali, partim conuulſiuo ſubiectus, obeſitate tanta ſubito corripiebatur, vt ventrem ſuſpenſorio leuare deberet. Tandem febre correptus rebelli exſtinctus eſt. Cutis adipe apparenter diſtenta cum incideretur, pus ſtatim virideſcens proſiliit, quod in trunci longe maxima parte in adipoſa tunica et inter muſculos copioſiſſime collectum erat. Pectus ſaniſſimum. Abdominis viſcera pinguedinis mole maxima grauata. — Virgo colica et neruoſis ſymptomatibus aliis vexata in ſyncopen tandem lethiferam incidit. Cum pectus incideretur, magna aëris moles intenſa vi prorupit. Ablato ſterno inſignis puris copia totum pectoris cauum occupauit. Pulmones, cor, ſana omnia; abdominalia viſcera pure infecta, corrupta, liquata. — Complures poſtea hydropum hiſtoriae enarrantur, aquis chirurgica ope eductis ſolo regimine, aut pauca ſaltim medicina curatorum. Ad-

modum

modum singulare haemorrhagiae insolitae exemplum vltima historia praebet. Virgo XVIII. annos nata ex menstruo fluxu deficiente laborare coepit, vnde narium haemorrhagia, sanguinis sputum, conuulsiones neruorum, febris. Postea, restituto fluxu menstruo, perseuerantibus vero neruosis affectionibus, aegra haemorrhagias ex intestinali tubo, oculis, auribus, mammae sinistrae papilla, et ex quacunque corporis parte experta est, sanguine scilicet, praeter memoratas partes, ex labiis, gingiuis, faucibus, naribus, pectore, intestinis, vmbilico, verendis partibus, ex singulis digitorum, tam manuum, quam pedum articulis et apicibus, manuum palmis, persistente simul copioso fluxu menstruo, profluente. Plurimis tandem adhibitis frustra medicinis, aegra diaeta lactea in pristinam sanitatem restituta est.

VILLIERS *de pulmonali vomica.* Aeger post pectoris acutum morbum in hydropem delapsus, sputis saniosis copiose prodeuntibus conualuit. p. 269.

TARANGET *de morte subita post partum naturalem.* Mortem insignis anxietas et dolor in vmbilicali regione praecessit. Extispicia desiderantur; et tamen Cl. Auctor mortem puerperali febri acutissimae (aegra septima post partum hora mortua est) tribuit, quasi scilicet nulla alia caussa *in puerpera,* nulla scissura vasorum, caet. subesse posset. Plura profert ad opinionem suam confirmandam, quae tamen nullo modo sufficiunt.

PASCAL *obseruationes de vsu vstionis cum moxa, aut cylindro gossypino.* Plurima se hac curatione praestitisse fatur Cl. vir, vlcera rebellia ad sanationem perduxisse, quae res vero non valde mira est, quum ferri ad haec, praesertim ad callosos margines liquandos, vsus antiquissimis iam medicis notus fuerit, cancrum adeo *fere* ad curationem perduxisse, pure praesertim laudabiliore post vstionem reddito, p. 280.

aegrum

aegrum tamen poſtea, ob curationem incongruam, fato functum. Paralyſin etiam moxa, in articulis exuſta, depulit.

Martius.

p. 397. *Topographia medicinalis oppidi Bray ſur Seine, et noſocomii ciuilis huius oppidi*, auctore MAGET. Intermittentes febres, quae in hoc oppido et contiguis endemium morbum conſtituunt, facile protrahuntur, atque in comatoſas, pleuriticas, ſubinde in miliares et ſcarlatinas degenerant. Vermes etiam ſaepe intermittentibus febribus iuncti ſunt.

De vermibus ex aure puellae recenter editae prodeuntibus obſeruatio. Elapſis XIV diebus a partu vermes ex aure prodierunt, aſcaridibus ſimiles.

Obſeruationes de febre putrida verminoſa, auctore DUFOUR. Sermo potius de talibus febribus eſt ex remittentium genere, in quibus cum fecibus vermes miſti ſunt. Sanatorum tantummodo aegrotorum tartaro emetico, purgantibus, anthelminticis, corallina praeſertim Corſicana, exempla proferuntur. Adnotationes additae, licet notiſſima medicis contineant, vtiles tamen ſunt, probantes quippe, febres, in quibus vermes decedunt, non ſemper a vermibus natas eſſe, medicum tamen ſemper his necandis, educendis, operam dare debere, quod vero cum maiori limitatione dici debuiſſet.

p. 437. *De vulneribus pectus penetrantibus obſeruationes, nec non alius rari morbi hiſtoria*, auctore COLOMBIER. Vulnerum hiſtoriae magni momenti vix ſunt. Pericardii hydrope laborans cordis palpitationibus, ſudoribus, ſyncope, inaequali pulſu et conuulſiuo non laborauerat. Vltima hiſtoria cordis inflammationem exhibet febri putridae, icteritiae et ſummo languori adiunctae. Pulſus paruus, durus, aequalis

lis fuit. Pleuram inflammatam, pulmonibus adhaerentem, puſtulis purulentis obſitam, pericardium inflammatum, cor mole praeter naturam auctum puſtulis pure repletis et in apice abſceſſu purulento obſitum cadauer exhibuit. Abdominalia viſcera fere omnia ſana.

CHEVALIER *de aquarum medicatarum Bourbonnenſium* (Bourbonne les Bains) *ad febres intermittentes virtute.* Requiritur regimen exactum et vt primae viae purgatae ſint. In ſanguineis venaeſectio, in bilioſis purgantia tamarindinata, acidula, caet. praemittenda ſunt. Quidam in curationis initio ab aquis purgantur. p. 448.

LAMARQUE *hiſtoria conſtitutionis epidemicae anni* MDCCLXXXV. *in oppido Saint Jean d'Angely, nec non de vſu aquae frigidae in febre bilioſa putrida miliari.* Vere bilioſae febres cum defluxionibus ad pectus iunctae graſſatae ſunt. Indeque morbus popularis ex catarrhoſo et bilioſo compoſitus fuit. Aegro febre in titulo tractationis memorata laboranti et purgantibus non ex vera indicatione, ſaltim nec commode ſatis, nec debito tempore datis exhauſto, et in ſummo vitae periculo verſanti, ſpaſmis praeſertim maxillae inferioris et aliarum partium admodum vrgentibus, aqua frigidiſſima data eſt, clyſteres frigidiſſimi iniecti, epithemata frigida applicata, vnde conualuit. p. 460.

DESCOTYES *hiſtoria ſymptomatum grauiorum a ſcabie per mercurii vſum retropulſa ortorum et medicamentorum generalium vſu et ſcabie per inſitionem iterum excitata ſanatorum.* In daemonomaniam ſcabies retrograda hominem coniecit. Expulſus malus daemon et pacata omnia ſcabie cutim iterum obſidente.

JURINE *obſeruationes de ſaponariae officinalis Linnei ad morbos venereos vſu.* Sane non noua eſt medi- p. 478.

medicina, quam ad hos morbos Cl. Auctor commendat, verum quae ad commendationem eius profert, admodum vtiliter dicta sunt. Attamen vix multis medicis nota erunt, quae Nofter de faponariae herba et extracto vidit, morbos venereos rebelles, mercurii vfui non cedentes, inprimis amygdalarum et veli palatini vlcera venerea efficaciter perfanante. Tres obferuationes fufe enarratae probant, hanc medicinam efficacem admodum ad fanandum antiquum venereum morbum fe praeftitiffe, dolores fopiiffe, emaciationi corporis obftitiffe, vlcera deterfiffe, inflammationem correxiffe et omnia ad fanationem perduxiffe. Exhibere autem folet Cl. vir radicum faponariae et foliorum fortem atque concentratam decoctionem, fimulque extractum eiusdem efficacis plantae quotidie ad 72 grana, quae fumma ipfi dofis eft, in pilulas redactum. Subinde etiam quotidie extracti 120 grana dedit. Meretur fane efficax haec et innoxia fimul medicina, vt in fimili cafu in vfum vocetur: plurima enim faepe in venereis morbis protractioribus funt, quae mercurii vfum continuatum, qui adeo faepe morbo profligando impar eft, non admittunt.

ESPIAUD *de calculi fectione cum alto apparatu obferuatio.* Omnia ex voto fuccefferunt in curatione.

Aprilis.

Tom. LXVII. *Topographia nofocomii, quod Meduntae* (Mantes fur Seine) *exiftit,* auctore LUCIVEL. Praeprimis memorabilis eft, hac de caufa, quod latrinas in ipfo aegrotantium conclaui tali modo inftructas, vt peftifero fuo halitu aërem inficiant continuo, Nofter valde taxet.

GIRAULT *obferuationes generales et particulares de febribus intermittentibus in nofocomiis factae.* Generales

nerales obſeruationes conſtitutionem generalem, epidemicam comprehendunt, particulares caſus ſingulares enarrant. Iique ex parte notatu vix valde digni ſunt, benignam tertianam, tertianam protractam, tertianam inflammatoriam, eandem febrem neglectam, male curatam cum oedematico totius corporis tumore complicatam caet. comprehendentes. Aliae vero paulo maioris momenti ſunt, hiſtoria ſcilicet febris tertianae, cui dyſenteria adiuncta erat, febris tertianae cum ſanguinis ſputo, eiusdem cum hydrope aſcite et anaſarca iunctae, febrisque quotidianae cum purulenta et aquoſa materie in pectore depoſita.

CHEVALIER *obſeruationes continuatae de vſu aquarum mineralium Bourbonnenſium ad febres intermittentes longas atque pertinaces, ad lentas febres, inprimis vero ad quartanam.* Tres obſeruationes enarrantur curatarum febrium intermittentium quartanarum aliarumque rebellium harum aquarum ope, quae aluum ducunt atque lotium potenter pellunt. p. 56.

LAMARQUE *de vſu aquae frigidae ad febrem bilioſo - putridam miliarem obſeruatio continuata.* Aliorum praeſertim teſtimonia adducuntur, qui curationes putridarum eodem modo moliti ſunt.

HUZARD *de hydrophobia per immerſionem et ſubmerſionem in aqua curanda.* Quidam a rabido cane morſus et poſtea hydrophobus factus in ipſo morbi furore euaſit tandemque conſumtis viribus in Ligerim incidit. Inde paene ſuffocatus mortui inſtar extractus eſt, poſteaque morbum ſatis commode ſuperauit et in priſtinam valetudinem perfecte reſtitutus eſt. Canes etiam eodem modo a rabie efficaciſſime praeſeruantur, quem iam CAROLVS D' ARCVSIA, in libro: *la Fauconnerie,* cuius hiſtoria fuſe deſcribitur, propoſuit. p. 70.

GALLOT

GALLOT *de epiplooceles ſequelis obſeruatio.* In ſphacelum hernia incarcerata tranſiit.

FLAMMAND *noua methodus aethiopem martialem maiori copia obtinendi, et globos martiales inde parandi.* Limatura martis cum aqua deſtillata digeritur, poſtea in puluerem redigitur.

Maius.

Topographia noſocomiorum oppidi Coulomiers, auctore MARTIN. Vix magni momenti eſt, nec ipſa noſocomiorum deſcriptio valde accurata.

Obſeruationum de febribus intermittentibus continuatio exhibet *intermittentium febrium generalem et ſpecialem hiſtoriam,* auctore MAIGROT. Cholera morbus aeſtate cum febribus intermittentibus graſſans, cum his plurimam ſimilitudinem habuit, et diluente, antiphlogiſtica, euacuante methodo medendi adhibita ceſſit. Adſeritur cholerae et intermittentibus febribus eandem cauſſam fuiſſe.

p. 220. LA ROCQUE *de proxima febrium intermittentium cauſſa coniecturae.* Stomachus in quacunque febrili acceſſione afficitur, inprimis a perſpiratione retrogreſſa, quae ſingulari modo in neruos huius viſceris agit. Haec acrimonia verno tempore a ſanguine inſpiſſato, autumnali ab imminuta transſpiratione pendet. Indeque neruoſum ſyſtema ſemper admodum a transſpiratione retrogreſſa afficitur, quod etiam inde patet, quod medicamenta febribus intermittentibus aduerſa tonicorum claſſi, ſopientium atque narcoticorum adſcribenda ſint. Poſtea obſeruationes complures de variis febribus intermittentibus adferuntur inprimis typum mutantibus. Maxime memorabiles in his vltimae ſunt, in quibus febrium intermittentium pernicioſarum hiſtoriae traduntur. Prima febrem cum aluina deiectione admodum

modum ſanguinolenta exhibet. Abdomen ſanguine reſoluto turgidum, omentum putrefactum, meſenterium obſtructum, pancreas liquatum, hepar conſumtum fere penitus, et quod de eo ſupererat exſiccatum, cadauer exhibuit. Alia aegra in ipſo febrili inſultu ſopore et virium lapſu conſumta obiit. Cadauere inciſo cerebri membranae valde inflammatae, ſinus infarcti, medullaris adeo ſubſtantia vaſa exhibuit ſanguine turgidiſſima et quaſi iniecta. Pulmo ſiniſter inflammatus, tuberculis, et quidem ex parte ſuppurantibus, obſitus. Inteſtina tenuia inflammata maxime, ex parte gangraena affecta. Febris iam in aegra declinauerat. Lethalis inſultus, absque horrore praegreſſo recruduerat.

Morbi oeſophagi rari hiſtoria, auctore TARANGET. Sexagenaria mulier de colli dolore, poſtea de deglutiendi difficultate conqueſta eſt, dolore ſimul perſeuerante. Sputis exceptis, ſymptoma vix vllum ſenſibile. Deglutitio poſtea maxime doloroſa facta effecit, vt liquida tantum alimenta ſumi poſſent. Increuere anxietas, ſuffocationis metus. Tandem maraſmo confecta et interna ſuppuratione periit. Inciſum cadauer oeſophagum gangraenoſum, in parte non gangraenoſa coarctatum, thyroideam glandulam deſtructam, admodum exhibuit. p. 254.

Obſeruationes de aquarum mineralium Bourbonnenſium (Bourbonne les Bains) *ad febres intermittentes virtute ad finem perductae*, auctore CHEVALIER. Pluribus enarratis obſeruationibus concluſio Noſtro eſt, has aquas ad febres intermittentes proficuas admodum, ſubinde ipſo cortice Peruuiano praeſtare.

BAUMES *de vrinae incontinentia interno cantharidum*

 vſu

vſu perſanata. Morbus in vetula muliere natus erat a contractili veſicae vrinariae vi euanida et a ſphincteris pituitoſo infarctu. Tinctura cantharidum data morbum perfecte ſanauit.

Eiusdem de laudabili effectu inſolationis in humorali crurum infarctu obſeruatio.

Obſeruationes de veſicatoriorum et fonticulorum vſu eximio in pectoris hydrope, auctore ARCHIER. Quinque obſeruationes fuſe enarratae probant, hanc medicinam ad hunc morbum, ſaltim ad pectoris pituitoſum et aquoſum infarctum, admodum valuiſſe.

p. 283. DUSSAUSOY *de vtero retroflexo obſeruatio.* Notabilis admodum hiſtoria eſt. Vidit Noſter aegram horis a retroflexione praeterlapſis XLV. et tamen abdomen mulieris, per tres menſes grauidae, tantopere diſtentum erat, vti in grauidis, quibus partus inſtat, eſſe ſolet. Symptomata ſimul omnia partum inſtantem indicarunt. Vrina arte educi non poterat, oſtio vrethrae ſub pubis oſſium arcu recondito. Vaginae anterius latus tenſum admodum, poſterius relaxatum, rugoſum. Poſtea quinque digitis in rectum inteſtinum immiſſis et vtero retroflexo ſurſum atque antrorſum preſſo, is in ſtatum naturalem reſtitutus eſt.

Noua methodus cancrum ſanandi, auctore PISSIER. Opio externe dato cancrum ſanari poſſe et vere mitigari Auctor aſſerit. Adhibuit balnea tepida, debitum regimen, vlceri autem cancroſo ipſi vnguentum ex lini oleo, cera alba et opii tinctura cum ſpiritu vini parata impoſuit, ſubinde etiam opio ſaturnina medicamenta, aliaque admiſcuit. Pluribus experimentis hanc medendi rationem confirmandam ſtabiliendamque eſſe exiſtimamus,

cum

cum multae adhuc dubitationes haud exigui momenti moueri aduersus illam queant.

Iunius.

In obseruationes de febribus intermittentibus, quas edidere medici nosocomiis praefecti, epicrises. Iuste notatur, his obseruationibus nouitatis dignitatem non competere. Si aegri in initiis febrium intermittentium malignarum moriuntur, cerebri infarctus maxime in caussa sunt, subinde etiam pectoris a metastasi humoris alieni, purulenti, laesiones. Si tandem mors superuenit febri, quae diutius perstiterat, abdominis viscera vtplurimum praeter naturam affecta sunt. Febribus intermittentibus morbificam esse materiem statuitur, et recte quidem. —Hepatis affectio in quacunque huius morbi periodo manifesta est, omnia etiam cadauera his febribus defunctorum hanc affectionem probant, indeque caussam febrium intermittentium in bile vitiata latere admodum credibile est. — Malignae intermittentes febres in vrbibus admodum rarae sunt. Ex 5000 aegris, qui trium, et quod excedit, annorum spatio in nosocomio Sti *Sulpitii* hoc morbo decubuerunt, sex eodem affecti sunt maligno. Ruri autem idem morbus frequentior longe est. p. 409.

BERTHOLET *de analysi animali cum analysi vegetabili comparata.* Obtinuit Cl. Auctor, si animales substantias eodem modo, quo BERGMANNVS fecerat, cum nitri acido tractaret, saccharinum acidum, oleo peculiari iunctum, indeque conclusio ipsi est, animales substantias materiam saccharo analogam continere, oleo animali, substantiae proprio, iunctam. Praeter hanc materiem simul continent phosphori acidum cum calcarea terra combinatum, p. 469.

 mephi-

mephiticum aërem atque fixum. Phosphori acidum humoribus quibuscunque, aquosis, qui excernuntur per naturales vias, iunctum est. Vrina id admodum copiosum continet, calcis aqua adfusa cognoscendum. Ipsi quoque sudori hoc acidum inest, qui adeo colores coeruleos vegetabiles rubro colore inficiat. Arthriticorum et rheumaticorum vrinae et sudores longe minus huius acidi continent, quod tamen in insultibus morbi ipsius vrinae longe copiosius inest. Hinc concludit Noster, caussam arthriticorum insultuum in materia phosphorica latere in corpore retenta, neruos irritante, quae tandem per articulorum spiracula vrinamque euacuetur.

P. 479. IACOBS *de paraplegia completa methodo Cl. chirurgi*, PERCIVAL POTT, *sanata.* Fonticulis in colli regione duobus factis aeger in pristinam sanitatem restitutus est.

Obseruationes criticae in sectionem symphyseos ossium pubis generatim, speciatim vero in illam, quae Parisiis anno 1784. *peracta est et in diarii ann.* 1785. *mens. Aprili descripta legitur*, auctore DESGRANGES. Rem fuse et sagaciter expendit Cl. Auctor. Difficultate generatim pertractata, quae ossium pelvis diductioni, synchondrotomia instituta, obest, et erroribus, quos, qui hanc operationem instituerunt, in metienda peluis diametro commiserunt, demonstratis, notae hactenus synchondrotomiae operationes in tres classes diuiduntur. Prima hae comprehenduntur, vbi symphyseos dissectio indicata visa est; altera, vbi sectio quidem instituta est, non vero necessitate vrgente et praeter indicationem; tertia, vbi iudicium de synchondrotomiae necessitate difficulter ferri potest, ob non sufficientem eorum, quae operationem indicauerant, enarrationem. Casus ad has tres classes referendi omnes succincte enarrantur,

rantur, quo facto conclusiones sequentes proferuntur:

1) omnes feminas, quae ob veram atque realem pelvis angustiam foetum emittere non poterant, vna cum foetu, instituta operatione, esse mortuas. Quae conualuisse ex his dicuntur, peluim forte ampliorem habuerunt.
2) ex feminis, in quibus absque absoluta necessitate eadem operatio instituta est, alias esse sanatas, alias succubuisse.
3) firmam ossium pubis connexionem effecisse in foemina Herbipolitana, vt pubis ossa diuisa spatio 16 vsque ad 18 linearum discederent. Inde symptomata nata esse puerperae paene mortifera, puerum vero, qui seruari potuisset instituta sectione Caesarea, succubuisse.
4) In pluribus absque indicatione et consilio operationem esse institutam.
5) Periculum non ab incisione cartilaginum ossium pubis nasci, sed ab ossium peluis violenta diductione.

Iulius.

Topographia medicinalis oppidi Sti Florentini (Saint Florentin) *et nosocomii, quod ibidem existit*, auctore NIEL. Oppidani lacte copioso vtuntur, indeque ad verminosos morbos disponuntur. Tom. LXVIII.

Obseruationes chirurgicae diuersorum auctorum. MARCQ *de ingenti abscessu sub axilla post laesionem externam a lapsu nato.* COLOMBIER *de cranii fractura pluribus symptomatibus stipata.* DUCHEMIN *de vlcere fungoso post contusionem in frontis osse nato.* FAIVRE *historia ossis occipitalis fracti et symptomatum inde natorum.* Eiusdem *historia cariei in sinu*

maxillari finiſtro. Eiusdem *hiſtoria tumoris cyſtici in ouario dextro inciſione facta ſanati.* Pus ex inciſo loco prodiit inſigni copia: ſed prodiit ſtatim peritoneo inciſo, indeque, quin puris collectio in ouario fuerit, dubium eſt.

p. 37. *Hiſtoria catarrhi pulmonum inflammatorii, cum obſeruationibus quibusdam de hepatica colica inueterata et calculis in veſicula fellea contentis*, auctore GRATELOUP. Mulier vetula, pectoris inflammatione tandem exſtincta, per plures annos de digeſtionis difficultate et variis in regione epigaſtrica ſeſe manifeſtantibus ſymptomatibus conqueſta erat. Cadavere inciſo hepar ſanum, fellis vero veſicula calculis referta fuit.

p. 49. ODIER *de vi magiſterii bismuthi interne dati antiſpaſmodica obſeruationes.* Efficax quidem medicina fuit, at effectus incerti fuere, aliis aegris maiores doſes facile ferentibus, aliis a decima ſexta grani parte iam vertigine, nauſea, caet. affectis. Cardialgiam hac medicina cum vomitu iunctam penitus ſanauit, pluresque alios morbos ex ſpaſticorum genere. Doſin medicamenti poſtea auxit, vt ad XII. vſque grana, vnica doſi danda, adſcenderit. Si mala intulit medicina, eadem a parcis, quam a magnis doſibus fuere, ſubinde adeo a paruis maiora, eaque mala fuere nauſea, vertigo, ſopor. Hinc doſi magna dari poteſt, et Noſter, qui cautus in vſus initiis admodum circa doſin fuerat, poſtea duo aut tria grana pro doſi dedit, aucta tantopere poſtea ſenſim doſi, vt quatuor pulueres quotidie, ex duodecim granis compoſiti, adeoque per diem XLVIII. grana praeciperentur. Plures aegri ſtatim inſigne leuamen experti auctaque poſtea doſi ſanati perfecte ſunt, aliis parua doſis morbum ſtatim depulit, in aliis morbus a medicina intactus manſit, alii tandem vomitum, alui fluxum, adſtrictionem, pectoris ardorem, horrores,

rores, caet. experti sunt. Attamen haec symptomata raro talia fuere, vt medicinam penitus contra indicarent.

Ex LXXVIII. aegris sanati penitus solius huius medicamenti vsu sunt XXXVI. quod maxime ad spasmos tonicos et ad cardialgiam valuit. Cordis etiam palpitationes aliaeque neruosae affectiones saepius hac medicina data sanatae sunt. Raro vero successit in neruosis morbis ab irritabilitate sensorii generali pendentibus, in hypochondriaco, hysterico malo. Ex XLII. aegris, quibus medicina haec morbos non depulit, XVII. leuati et postea continuato bismuthi vsu sanati sunt. Ex reliquis XXV. medicina vndecim aegris neque boni neque mali quid attulit. XIV. aegri Auctorem de effectu certiorem non reddiderunt. Inde conclusio nascitur, ex LXIV. aegrotis LIII. huius medicinae vsu penitus sanatos esse. Infirmi, incurabiles, inueteratis et diuturnis neruorum morbis laborantes hoc medicamento generatim curari non poterant. Pollicetur Cl. Auctor vlteriorem experimentorum suorum expositionem in peculiari libro.

PIETSCH *obseruatio de partu laborioso, feliciter* p. 57. *forcipis Smelliani ope, ad finem perducto.*

Methodus mediante manu dextra in cataractae extractione corneam dextri oculi incidendi, auctore DEMOURS, *filio.* Figura adiecta encheiresin illustrat.

DESGRANGES *obseruationum criticarum in sectio-* p. 65. *nem symphyseos ossium pubis continuatio.* Mulierum, quibus pubis ossa in partu difficillimo a dolorum intensissimorum conatibus diducta sunt, exstinctarum hac laesione exempla adferuntur, nec non luxatorum peluis ossium lethalium: vnicum tamen etiam adfertur luxatorum peluis ossium, vbi aegra seruata est. Recte adseritur, periculum nullo modo in inci-

 sione

ſione ſymphyſeos oſſium pubis conſiſtere, verum potius in oſſibus peluis lateralibus ab oſſe ſacro diductis. Ligamenta, quae haec oſſa iungunt, extenuantur, lacerantur, oſſa reduci in locum priſtinum non patientia diducuntur, eoque modo hiatus naſcitur, indeque inflammatio, abſceſſus, mors. Hinc liquet, quam male hi iudicent, qui inciſionem ſymphyſeos facilem, innocentem, ſecuram, certique ſucceſſus eſſe putant. Mulier obeſi admodum habitus XL annos nata foetum ob peluim ad 19 lineas anterius complanatam emittere non poterat, indeque ſymphyſeos diſſectio inſtituta eſt. Plurimum difficultatis obeſitas fecit. Haemorrhagia nata eſt ex aliquot arteriis, ligatura compeſcenda, qua multum temporis inutiliter conſumtum eſt. Inciſa poſtea ſymphyſi, ligamentum inferius triangulare oſſium pubis cum ſtrepitu violenter ruptum eſt, oſſaque peluis, etſi omnia peragerentur ad ſubitaneum oſſium pubis diſceſſum auertendum, ſtatim admodum diducta ſunt. Foetus, qui forcipe extrahi non poterat, verſione erat educendus; manus autem obſtetricans ad pedes extrahendos cum adhiberet, pelvis oſſa omnia mobilia ad quodcunque latus duci reducique poterant, prouti obſtetricans manum movebat. Eaque encheireſi peluis oſſa ad duo et dimidium pollices diducta violento cum ſtrepitu ſunt. Dolores interea aegra paſſa inſignes eſt, vulnus externum, horridum adſpectu, haemorrhagia, veſica vrinaria et vaginae vterinae pars intra peluis oſſa quaſi incarcerata, difficulter in priſtinum ſitum redigenda. Extracto foetu ſuperuenere horror, abdominis tumor, vrinarum ſubinde incontinentia, ſubinde meteoriſmus, dolores in vniuerſa peluis regione inſignes, gangraena et tertio poſt puerperium die mors. Inciſo cadauere inferna abdominis pars longe maxima gangraena affecta. Symphyſes ſacro-

iliacae

iliacae ſpatio in altero latere quatuor, in altero ſex linearum diſceſſerunt, caet.

Ipſa autem ſynchondrotomiae operatio valde difficilis eſt, pluresque, qui de difficultate cartilaginis incidendae queſti ſunt, non cartilaginem, ſed os ipſum inciderunt, extiſpiciis poſtea commiſſum in operatione errorem probantibus. Os autem ſi inciſum eſt, infiltratio, ſuppuratio, laeſio partium vicinarum, ipſaque corporis ſuccuſſio, quam operatio ſecum ſemper iunctam habet, plurimum difficultatis parit.

Auguſtus.

Topographia noſocomii in vrbe Meaux. Qui variolis in hoc noſocomio laborant, maxima ex parte conualeſcunt, cuius rei cauſſa latrinarum vapor dicitur, aegrotantium conclauia inficiens. p. 193.

Obſeruationum chirurgicarum continuatio. Vterus temerario auſu obſtetricis ſecundinis extrahendis operam nimiam dantis inuerſus, prociduus, inflammatus, gangraenoſus, ligaturae ope exſtirpatus eſt, cum plurimis ſpaſmorum, aliisque ſymptomatibus, attamen cum ſalute aegrae. — Puella duodecim annos nata vrinam per vmbilicum emiſit, calculo veſicae vrinariae orificium obſtruente, quo extracto vrinae naturale iter reſtitutum eſt. — Tibia fracta coaleſcere pertinaciter recuſauit. Inciſo tandem fracto loco os inter extrema fracta haerens extractum, poſteaque ſanatio ſequuta eſt. Caeterae obſeruationes omnes fracturarum variarum, complicatarum vtplurimum, exempla exhibent.

De oeſophagi affectione quadam parum cognita, auctore TARANGET. Hiſtorias deglutitionis interceptae a ſe obſeruatae nouem narrat Cl. vir. Morbus paene ſemper ab angina ortum duxerat. Quaeſtiones variae tandem mouentur ex parte iam a Ba- p. 250.

tauis praesertim medicis satis probe discussae. Regio, quam incolit Noster, et in qua deglutitionem praepeditam frequenter obseruauit, humida est, vliginosa, nebulosa. An forte omnia ab infarctis lente glandulis, infarctu postea insuperabili euadente? (Multa in casibus enarratis angina vbique fere praegressa, quae vero non satis exacte describitur et generali tantum nomine: *mal de gorge* inter antecedentia symptomata enarratur, ad deglutitionem interceptam contulisse videtur, aquosa, diuturna, glandulas colli, musculos deglutitioni inseruientes ipsos infarciendo, acuta, inflammatione in rigorem terminata).

Obseruationes diuersae, auctore DVPONT.

Prima de febre biliosa agit cum cholera coniuncta, mortifera. Errorem in curatione forte commisit Noster; dedit nempe tartarum emeticum manna remixtum, vnde vomitus parcus, aluus copiosissima, vires exhauriens, sequuta. Dato postea iterum tartaro emetico, haec medicina non vomitorios, sed purgantes vehementer effectus edidit. Inde vires exhaustae, naturaque ad aluum citandam stimulata est, intensiori etiam inflammationis irritatione accedente, quibus omnibus tandem ad choleram occasio nata est. Morbus potius ab auctore cum *febre intermittente* cholerica TORTI confusus esse videtur, vnde nec curatio respondere potuit.

Affectio iliaca tandem, quum aeger superasse periculum vitae putabatur, lethifera. Aeger cortice Peruuiano per sex menses, ad hemicraniam depellendam, erat vsus. Intestina inflammata, ex parte gangraenosa, ileum praeter naturam cum vicinis parti-

partibus cohaerens, meſenterium tumidum, calculos biliarios, cadauer exhibuit.

Paſſionis iliacae ab hernia incarcerata ortae hiſtoria. Hiſtoria epilepſiae apoplecticae.

Intermittentis febris cum delirio iunctae hiſtoria. Muſici concentus, depulſo delirio, aegrum in priſtinam valetudinem reſtituerunt.

Hiſtoria incubi febre intermittente ſuperueniente p. 289.
perſanati, auctore JURINE. Plurimas medicinas incaſſum antea commendauerant Cl. viri, TISSOTVS, PETIT, alii.

TOURTELLE *de oſſificationis in oſſibus maxillaribus in recens nato quodam vitio obſeruatio.* Labium leporinum erat cum oſſea ſubſtantia deperdita.

LARROUTURE *de ſectione Caeſarea Bayonnae in-* p. 297.
ſtituta. Foetus pedibus ad humeros vſque protracti caput extrahi non poterat, eamque ob cauſſam caeſarea ſectio, reſciſſo de capite trunco, *in puero, qui vitae indicia dabat*, capitis reſidui extrahendi cauſſa, quod ſane alio modo, absque ſectione Caeſarea extrahi et potuiſſet, et debuiſſet inſtituta; puerpera autem, a quatuor chirurgis dire cruciata, tandem mortua eſt.

Literae ad THOMASINVM *quaeſtionem medico-legalem de vulnerum quorundam lethalitate concernentes, auctore* SAUCEROTTE.

September.

Topographia noſocomii, quod in oppido Corbeil p. 386.
exſtat, auctore PETIT. Quaedam ſimul notatu haud indigna de *Aegidio Corbalienſi*, (*Pierre Gilles de Corbeil*) medico ſui temporis inſigni, proferuntur.

DUSSAUSOI *de morbis quibusdam in noſocomio Lugdunenſi maxime frequentibus.* Primum de articulorum inflammatione agitur. Cubiti et femoris cum crure articulum crebro occupat lymphatica inflam-

inflammatio, quam *albam* Noſter vocat, cum febre ardente et ingenti partis affectae tumore complicata. Haec inflammatio vtplurimum, ſed tarde admodum, reſolutione terminatur, venaeſectionibus, medicamentis antiphlogiſticis, externe veſicatoriis deriuantibus, epithematibus ſiccis, et morbo ipſo ad finem perducto roborantibus, frictionibus aromaticis curanda. Ophthalmiae in eodem noſocomio crebro obſeruatae, pertinaces, mercurio ſublimato corroſiuo interne dato praeclare ceſſerunt, ſi nulla etiam venerea cauſſa ſubeſſet. Vlcera corneae et ſtaphylomata lapis infernalis depulit. Tandem de eryſipelate et de abſceſſibus lacteis agitur.

Experimenta et dubia circa circulationis mechaniſmum, auctore *le* COMTE. Experimentis, verum non ſatis exacte enarratis, probat Cl. vir, pulſum arteriarum pulſui ventriculorum cordis reſpondere hoc modo, vt, dum arteriae dilatantur, ipſi etiam ventriculi dilatentur. Animalia, quibus ventriculi cordis ſtilo acuminato atque attenuato perfoſſi ſunt, pectore caeterum illaeſo, ſana facile perſtiterunt.

p. 429. *De inuoluntaria ſeminis profuſione*, anonymo auctore.

Hiſtoria ſacerdotis Itali, qui, corpore ſuo ſponte flammas concipiente, tandem dire exſtinctus eſt, auctore IOSEPHO BANTAGLIA, chirurgo. Sacerdos, quum itinere per diem peracto veſperi cubitum ire vellet, ſubito concidit. Strepitu intellecto eandem domum inhabitantes acceſſerunt, ſacerdotemque humi proſtratum et leui flamma circumdatum inuenerunt, exſtincta tandem, adſtantibus appropinquantibus. Noſtro die proxime inſequenti vocato, brachii eaque omnia integumenta, quae intra humerum et femur ſunt, penitus fere a carnibus reſoluta erant, poſtea in gangraenam transeuntia. Poſtea aliae quoque laeſae partes gangraena correptae ſunt, aegerque,

que, putrida materia per aluum depoſita, vomitu continuo vexatus, tandemque ſopore praeternaturali correptus exſpirauit. Nullum in vniuerſi morbi decurſu doloris, aut vllius alius affectionis indicium. Putredo ante mortem tantum erat progreſſa, vt corpus foetorem intolerabilem exhalaret. Vngulae adeo ſponte de digitis deceſſerunt. — Praeter venaeſectionem, inflammationis auertendae cauſſa inſtitutam, temperantia, lenientia, antiſeptica, refrigerantia, ſed incaſſum data ſunt.

Sudoris partem corporis occupantis et inſoliti hiſtoria, auctore FEBURE. Vir LXX annos natus in febrem incidit, parotidum ambarum ſuppuratione terminatam. Sanatis abſceſſibus, aegroque conualeſcente, ſudor in maxillari regione dextra obortus eſt, copioſiſſimus, nec alio tempore, quam dum aeger cibos manducabat, profluens. (Saliuales ductus in parotide glandula ſuppuratione laeſi, neque conſolidati, morbum, quem non ſudorem, ſed ſaliuae potius per cutaneos poros euacuationem dixerim, ſine dubio excitarunt. Neque ſimiles caſus valde rari ſunt.) p. 446.

Obſeruationes in hiſtorias vulnerum pectoris penetrantium diario inſertas, (vid. ſupr. menſ. Mart.) auctore FOULMART.

Obſeruationum in ſectionem Caeſaream Bayonnae inſtitutam continuatio et finis, auctore LARROUTURE. Fuſe probatur, raro, ſi vix vnquam, ſectionem Caeſaream debere inſtitui. Probatur etiam, et recte quidem, in caſu, cuius epitomen exhibuimus (vid. menſ. Auguſt. h. ann.), non debuiſſe inſtitui ab obſtetricante rudi, qui abdomen incidens, veſicam vrinariam ſimul laeſerat.

Foetus duplicis deſcriptio anatomica, auctore SEVILLE SUMEIRE *de dentelariae* radicis antiquitatibus et vſu obſeruationes. Cum ſuillo adipe radix p. 468.

contri-

contrita et iuncta ſcabiem ſanat, herpetem folia recentia et impoſita, aut cum aqua decocta.

October.

Tom. LXIX. *Obſeruationum medico-chirurgicarum in noſocomio Lugdunenſi factarum continuatio,* auctore DUSSAUSOY.

Phlegmone viri, abſceſſibus lacteis feminae frequenter in noſocomio corripiuntur. Malignitas phlegmones, quae in abundante ſuppuratione et in inſigni illius ad gangraenam propenſione, ſaepius lethiferis, conſiſtit, a noſocomiorum aëre pendet, omnia maligno ſuo tabo inficiente. Ad ea omnia cortex Peruuianus quidem admodum valet, magis tamen tamarindorum decoctio cum tartaro emetico parata et naſturtii ſuccus. — Carbunculus in robuſtis valde inflammatorius, in cacochymicis et languidis oedematoſus eſt. In illis inflammationem ſopire, in his excitare conuenit, candente praeſertim ferro, quod vere ſpecifica ad eum medicina eſt. Si gangraenoſa puſtula in maius ſpatium non protenditur, morbus in ſuo ſtatu eſt, et tunc ſuppuratio cortice Peruuiano interne copioſe dato concitanda eſt.

p. 51. *Hiſtoria febris putridae epidemicae Trecorii* (Treguier) *Auguſto menſe anni* 1786. *obſeruatae, auctore* DIEULEVEULT. Febris erat ex bilioſarum remittentium genere. Vomitum ſine praeuia ſordium praeparatione ſuadet ipecacuanhae radice concitandum. Non tamen in omnibus practicis ſibi conſentientes habebit Cl. Auctor, eorumque in reprehenſiones incurret.

Hiſtoria paſſionis iliacae indigeſtionem ſuperuenientis, quam vehementior iracundia concitauerat, auctore BALBAT. Vomitus, qui indigeſtionem exceperant, in iliacam paſſionem ſtatim transiere, atrociſſimi

mi, perſiſtentes. Medicamenta tandem relaxantia, ſopientia, balnea, oleoſae frictiones, effecere, vt alvus iterum reſponderet. Et tunc ceraſa, quae cum nucleis aeger copioſe ante morbum ingeſſerat, copioſa egeſta ſunt, aegerque conualuit.

Poſtulatum de ſerie malorum ex venerea cauſſa primitus effluentium, auctore DESGRANGES. Salaciſſimus adoleſcens XI et quod excurrit annorum virulentas concepit gonorrhoeas. Poſtea penis glandem vlcus dirum inuaſit mercurialibus medicinis et relaxantibus percuratum. Vlcus aliud in brachio natum, mercurio ſublimato interne dato perſanatum eſt. Aliud poſtea vlcus in crure natum, deinde hepatis induratio, poſtea in femore vlcus, plurimaque deinde alia, nodoſa difficulter, nec niſi mercurio varia forma, varia praeparatione copioſe (nimia, ni fallimur, copia) dato, cedentia. Rediit aliquo modo ſanitas, attamen vlcera plurima adhuc perſtant. (opio cicutae iuncto curanda, non mercurio, ob cuius nimiam quantitatem et diuerſae penitus indolis praeparationes fere ſimul datas omnia mala nata eſſe videntur.) p. 75.

Abſceſſus hepatici felix curatio, auctore MONNE. Omnia ex voto ſucceſſerunt et vlcus die XXVII. ab inciſione facta conſolidatum eſt.

DE LA PLANCHE *de turfa tractatio.* Analyſis potiſſimum chemica copioſe enarratur. p. 90.

Nouember.

Oppidi Brie-Comte-Robert, et noſocomii, quod ibidem exſtat, deſcriptio, auctore PASCAL. p. 193.

De febre miliari obſeruationes, auctore LE TUAL. Hiſtoria morbi, qui ad bilioſum accedebat, ſatis probe perſcripta eſt. Adſerit Auctor, verum non probat, miliaria exanthemata *ſemper* ſymptomatica, inductaque arte, nunquam primaria eſſe, indeque miliarem febrem ſingularem morbi ſpeciem haud conſtituere,

ſtituere, miliari exanthemate cuique febrili et putrido morbo, qui ad putredinem pronus eſt, accedente, praeſertim ſi incongrua per ſudorifera curatio acceſſerit.

Obſeruationes de febre miliari cum ſanguinis et humorum diſſolutione iuncta, in noſocomio Sti Sulpitii inſtitutae, auctore SIMARD. *Obſeruationes generales et particulares de febre miliari et ſcarlatina*, auctore DUFAU. *Obſeruationes diuerſae de febribus eruptiuis, praeſertim miliaribus, in noſocomio Sti Sulpitii inſtitutae.* Generales obſeruationes huic morbo vix plurimum lucis adfundunt, particulares morbi caſus vix admodum ſingulares raroſue comprehendunt.

De aëris uliginoſorum locorum in inducendis febribus malignis efficacia obſeruationes, auctore BAUMÉ.
p. 244. Quaedam adferuntur de corticis Peruuiani ad febres remittentes efficacia, quae omnia eo redeunt, vt cortex tempore ſatis maturo detur, priusquam ipſae exacerbationes, phlogoſes, congeſtiones ad interna viſcera, humorum degenerationes, caet. excitauerint.

Dyſenteriae ſemeſtris ſubito, helminthocorti vſu, perſanatae hiſtoria, auctore eodem. Vermes morbum tam rebellem reddiderant, quibus expulſis, ſtatim ſiluit.

Nigri morbi hiſtoria, auctore HATTE. Vtiliter hiſtoria perſcripta eſt. Morbus, putrido ſanguine plurimo egeſto, ſenſim in hydropem anaſarca tabemque transiit, lethiferus demum factus. Recte
p. 260. monet Cl. Auctor, boni parum a venaeſectione in hoc morbo eſſe exſpectandum (niſi plethora manifeſte ſimul praeſente et morbo a ſanguinis profluvio intercepto nato: alias venaeſectio recte omittitur; ſanguis enim, qui vomitu aut aluo decedit, circulo, plurima ſaltim ex parte, haud amplius ſubditus eſt.) In diagnoſi morbi eiusque diſtinctione ab haemoptyſi ſtabilienda nimis fere fuſus Auctor eſt.

Progno-

Prognoſis ſemper incerta, dubia eſt, et difficilis ſemper ſanationis morbus. Acidis vegetabilibus, mineralibus curatur optime. (funditus vero euertitur, quod plurima experientia nos edocuit, medicamentis viſceralibus interne et cum clyſteribus, methodo *Kaempfiana*, penes Germanos quoſdam recepta, datis, licet et in his clyſteribus adminiſtrandis plurima cautione opus ſit, ne ſcilicet vaſa, ſtimulo copioſiore, quam par eſt, ſcindantur) Hydrops morbum, vti et nos ex exemplis didicimus, ſaepe excipit. (Saepe tamen etiam valde diuturnus eſt, et creberrimo reditu aegros non necat. Vidimus mulieres hoc morbo, per decem, et quod excurrit, annos copioſiſſime recrudeſcente laborantes, tandemque debita medendi methodo, viſcerali, penitus perſanatas.)

RAMEL *de cantharidum externo, ad veſicas excitandas, vſu obſeruationes* ad dentium dolorem, ad catarrhos, ad vagam eryſipelatis matriem, caet.

Ad liquoris genitalis profuſionem ſpontaneam intercipiendam variorum conſilia.

Partus praeternaturalis, quo foetus brachium obtulit motuque puerperae ad ſitum naturalem rediit, hiſtoria, auctore BOQUIS. Omnia ad naturae legem in hoc partu ſucceſſerunt: obſtacula enim omnia, extractis e mortuo foetu abdominis et thoracis viſceribus, obſtetricans, remouerat. p. 288.

December.

Hiſtoria diarii praemiſſa eſt, quod curam illius gerente BACHERO, V. Cl. vberrimo obſeruationum vtilium penu inſtructum magisque amplificatum atque dilatatum hactenus prodiit prodibitque in poſterum. p. 385.

In hiſtorias febris miliaris praecedentibus diarii partibus inſertas obſeruationes. Morbum antiquum eſſe adſeritur, atque ejus natura aeque ac

 pro-

progreſſus deſcribuntur, at vti nobis videtur non ſatis accurate. Morbum ab Anglis Gallis eſſe communicatum ex eo credibile eſt, quod provinciae, quas morbus primum inuaſit, Angliae maxime propinquae ſint. Epidemiae, quae diuerſas Galliae vrbes inuaſere, quotquot Auctori innotuere, diligenter enumeratae ſunt.

Deinde quaeſtio iterum agitatur, num miliaris febris morbum peculiarem, diſtinctum, conſtituat, charactere ſuo esſentiali praeditum, ſiue an tantum pro ſymptomatico habenda ſit. Contrariam prioribus ſententiam Auctor tuetur, ſui generis morbum eſſe atque idiopathicum miliarem febrem adſerens, et in Vindobonenſibus rixis de hac materia exponendis nimis profuſus eſt. Pluribus obſeruationibus Gallorum medicorum ſatis fuſe enarratis probat, miliarem febrem et morbum eruptiuum eſſe, et retropelli facile exanthemata poſſe, non autem intercipi, regimine etiam maxime antiphlogiſtico obſeruato. Indeque concluſio Noſtro eſt, miliarem febrem eſſe proprii et priuati generis atque ex peculiari fermento oriri (quod quilibet etiam concedet, cui occaſio febrem miliarem veram, originariam obſeruandi obtigit, in qua ſcilicet a primo ſtatim morbi inſultu ſymptomata peculiaria, proprii generis adſunt, miliare exanthema certo praeſagientia, quod etiam data opera ſumma ad praecauendam efflorefcentiam vix intercipi patitur: dubium vero ex noſtra ſaltim mente et obſeruatione adeo eſt, quin peculiare miaſma haec febris agnoſcat. Contagioſum morbum eſſe quidem non negauerimus, verum dum hoc concedimus, non ſimul id demus, quod a peculiari miaſmate pendeat.) Sporadica febris miliaris his in terris raro obſeruatur, in quibus epidemica nondum ſaeuiit.

Sympto-

Symptomaticam miliarem febrem medicus ſemper cauere poteſt, incendium incendio non augendo. Etiam in febribus, quae a lactea metaſtaſi oriuntur, miliare exanthema ſaepe ſymptomaticum eſt. Benigniſſima miliaris febris nec medico, nec medicina eget, eget autem putrida atque inflammatoria. Chronico miliari exanthemati eadem natura eademque progenies (quod admodum dubium his potiſſimum eſſe debet, qui peculiare exanthematis miaſma ſtatuunt) ſtatuitur.

De perſpiratione tractatio, ſiue ad obſeruationes Cl. REAUMUR *ſupplementum*, auctore LE COMTE. In hac tractatione Noſter ſtatuit, *vitam materiam eſſe euaporabilem*, quoniam in ouis pinguedine obductis pulli non generantur, ouaque calori nimio expoſita pariter ſterilia ſunt. Omnia, verbo, eo redeunt, vt demonſtretur, principium vitale euaporari poſſe et vere euaporari, verum nouum etiam ex ambientibus recipi. p. 466.

Hiſtoria hominis carbonum vapore ſuffocati, auctore MEGLIN. Omnia incaſſum adhibita ſunt ad reſiduam adhuc vitam conſeruandam. Quaeſtio mouetur, num venaeſectione inſtituta maior vitae reſtituendae ſpes fuiſſet, (ſine dubio affirmanda.) p. 478.

Febris putrida maligna ab eodem obſeruata.

Eiusdem circa vſum florum zinci in conuulſiuis morbis obſervationes. In puerilibus conuulſionibus antiſpaſmodica alia ſecuriores et praeſtantiores effectus ediderunt. Adhibiti ſine fructu in inſultu epileptico, cataleptico, choreae Sti Viti ſunt, quae cortici Peruuiano, aquis martialibus et balneorum vſui ceſſit. In acceſſibus hyſtericis plurimum leuaminis attulerunt: recrudeſcente autem, elapſis aliquot menſibus, iisdem absque vllo leuamine dati ſunt. Plura ſemper valerianae ſylueſtris radix praeſtitit. Nec absque noxa ſenſiles aegri medicinam hanc tulerunt.

Hyſtericae a tertia grani parte anxietatem, vomitum, deliquia, ptyaliſmum, cardialgiam, paſſae ſunt.

Eiusdem hiſtoria depilationis ſingularis. Viro in rixoſa cum alio contentione capillus omnis in faſciculum colligatus vno impetu euulſus eſt.

DESCHAMPS *hiſtoria fracturae vlnae complicatae.*

XXIII.

Traité de la cataracte avec des obſervations qui prouvent la neceſſité d'inciſer la cornée transparente et la capſule du cryſtallin d'une maniere diverſe, ſelon les différentes eſpèces de cataractes. Par M. DE WENZEL, fils, Baron du St. Empire, medecin de la Faculté de Nancy et Docteur - Régent de la Faculté de médecine en l'Univerſité de Paris. A Paris, chez Duplain. 1786. 8. 224 pagg. c. tabula aenea.

i. e.

De cataracta tractatio, adnexis obſeruationibus, quibus probatur, alio modo corneam transparentem, et capſulam lentis cryſtallinae eſſe incidendam in diuerſis cataractae ſpeciebus.

Patris ſui, viri in ſanandis oculorum morbis, praeſertim in cataracta extrahenda, feliciſſimi, methodum, qua per triginta annos cum ſucceſſu plurimo vſus eſt, Noſter deſcribit, inſtrumenta, operandi modum, cautelas ante operationem, nec non durante et peracta ea obſeruandas, diuerſas medendi methodos diuerſis cataractae ſpeciebus accommodatas, exemplis plurimis fidiſſimaque obſeruatione comprobatas fideliter enarrat, vt adeo hic liber caliginoſo iſti atque diro cataractae morbo lucem plurimam

rimam affundat plurimaque scitu factuque vtilissima contineat.

Non quidem ignota hactenus fuit methodus, qua Illustris WENZELIUS, pater, in cataracta vsus est, a pluribus scilicet medicis ocularis descripta traditaque, sed minus studiose, talique modo, vt vera falsis plurimis essent mixta. Indeque grates plurimae praeclari patris filio industrio habendae sunt, quod methodum, qua obseruata pater nominis celebritatem plurimam nactus est, ab ipso non descriptam egregia penitus lectuque dignissima hac tractatione publici iuris fecerit.

Omnia autem, quae in hoc libro perscripta sunt, ad hanc senioris WENZELII methodum redeunt. Omissa sunt omnia, quae ad caussas cataractae, ad curationem illius per interna medicamenta aut raram, aut nunquam succedentem, et ad alias operationum cataractae methodos a CELSI temporibus vsque ad nostra commendatas pertinent. Omnia obseruationibus, et quidem selectis et fideliter enarratis confirmata sunt.

Primum *de cataractae definitione* agitur. Ea semper maculam albidam griseamue, subinde etiam profundioris coloris, semper vero differentis a nigro pupillae colore, exhibet. Qui XL annum aetatis attigerunt, crebrius ab hoc morbo corripiuntur, qui etiam facilius in iis, quam in iunioribus, sanatur. Difficillima operatio in iunioribus est, et in his, quibus connata cataracta est, vbi differre curationem expedit, donec aeger maturior aetate, curationem facilius ferat. Neque hoc in casu lentis crystallinae cum vicinis partibus coalitus metuendus est.

Frequentius cataractam contrahunt, quorum oculi igni intenso continuo expositi sunt, vitrarii, aliique huius generis opifices. Quae a vi extus

oculo illata nascitur cataracta in oculum laesum tantum cadit, et difficulter, ob laesas simul alias oculorum partes, sanatur. Internis medicinis, si vnquam, raro sane cataracta sanata est. Qui sanasse hunc morbum putarunt, falsa saepe diagnosi seducti, lymphaticos corneae infarctus visum obscurantes pro lentis crystallinae morbo habuerunt, iique infarctus, qui studiose a vera cataracta distinguendi sunt, mercurio et aliis medicamentis saepissime cesserunt. Indeque concludit Noster, obseruationibus quoque ductus plurimis propriis, nullam medicinam dari internam, quae cataractam crystallinam siue capsularem curare, aut incipientem profligare valeat.

p. 11. Depressa per acum lens crystallina et vitreo humori immissa non liquatur in eo, vt quidam autumarunt. Incisi post obitum oculi eorum, quibus a longo inde tempore cataracta depressa fuerat, crystallinam lentem integram et naturalis formae exhibuerunt. Incommoda depressionis succincte enarrantur, deinde paulo fusius ea, quae extractioni obiecta sunt. Staphylomata, quae post extractionem copiose nasci aduersarii dixerunt, vix nascuntur cornea debite et ad WENZELII methodum incisa, neque curatu tam difficilia sunt. Dolores cum depressione iuncti intensiores longe iis sunt, qui extractionem sequuntur. Vitrei humoris profusio, extractione debite instituta, vix locum habet in simplici cataracta, quae cum humoris vitrei vitio iuncta non est, et vbi posterior capsula crystallinae lenti non adhaeret. Quae vero si existunt, fieri quidem potest, vt humoris vitrei exigua pars profluat, quae vero visus restitutioni non obest. Sat magna quantitate effluxus hic humor visum non intercepit, imminuit vero. — Irregularis pupilla raro fit, inprimis si oculo nimia vis non infertur. Commoda praeterea visui est, quum in dilatatione potissimum

mum conſiſtat, transmittendis pluribus luminis radiis magis apta. Si cornea vnico inſtrumento, vnicoque eiusdem impetu inciditur, ſi ſciſſura prope ſcleroticam fit et transmittendae lenti absque vi ipſi illata ſatis idonea, cicatrix nata viſui noxam vix adfert.

Secundaria cataracta operationi per depreſſionem frequentius ſuperuenit et difficilius ſanatur, quam ſi idem malum poſt extractionem cataractae naſcitur. Ipſa etiam poſt depreſſionem nata ſecundaria cataracta non aliter, niſi extractione, curari poteſt, eademque ſi poſt extractionem naſcitur, facilius, commodius, et absque oculi laeſione extrahitur, illaeſo ſcilicet poſt extractionem humore vitreo exiſtente, laeſo vero poſt depreſſionem.

Depreſſionis noxae. Dolores intenſiores, vo- p. 25.
mitus operationem vtplurimum excipiens a neruorum laeſione ortus, ſuppuratio, cataracta ſecundaria frequentius ſubnaſcens, dolores oculorum intenſi per totam ſaepe vitam durantes, ſanguis per oculum, vulneratis vaſis ſanguineis, diffuſus, ſuppurationem, niſi cito reſorbetur, concitans, depreſſio non ſuccedens, lente obſcurata molli, lactea exiſtente, lens depreſſa poſteaque locum priſtinum occupans, ciliares proceſſus acu facile vulnerandi, caet. praecipua mala ſunt, quae a depreſſione reſultant.

Hiſtoria extractionis cataractae. Adſeritur, RICHTERVM, profeſſorem Göttingenſem celeberrimum, aliosque plures cultellum WENZELII pro proprio et a ſe inuento venditaſſe.

Operatio quibusnam in caſibus indicetur nunc expenditur. Dubius operationis ſucceſſus eſt, oculo nimis lacrymante, hypopyo doloris experte, inſanabili, vtplurimum inſequente. Difficulter etiam ii morbo liberantur, qui capitis dolore antiquo, ſaepe recrudeſcente, affecti ſunt. Pupilla mobilis eſſe

debet: casus tamen enarrantur, vbi immobili ea existente post operationem institutam, visus perfecte restitutus est. Ipsa adeo immobilitas subinde a cataracta pendet induciturque a lentis, quae indurata vtplurimum praeter naturam, aut liquata et tumefacta in tali casu est, et capsulae illius anterioris in iridem pressione. Indeque, si etiam immobilitas pupillae subest, caetera vero amauroseos signa absunt, cataractae extractio commode institui potest.

p. 46. Plurima ad operationem praeparatione non opus est, sufficitque breui ante operationem tempore pedes in calidam immittere et aluum leniter laxare. Plethoricis vena incidenda est, sordes e primis viis via, qua maxime vergunt, educendae, aegroque ante operationem victus tenuis, vegetabilis, praecipiendus est.

Instrumentum ad corneam incidendam nunc fuse describitur. Cultellum, seu lanceolam fere refert, qua ad venam incidendam chirurgi vtuntur, latiorem tamen paulo atque longiorem, rectam, non conuexam, scindens illius lamina longitudinem 18, latitudinem in latissima parte trium linearum habet, sensim, vsque ad apicem decrescentem. Tertia longitudinis pars, ab apice, basin versus latitudinem lineae vnius et dimidiae habet, sensim in apicem terminatam. Inferior cultelli pars, quae scilicet in operatione versus inferiora vergit, in tota sua longitudine scindens est. Superior cultelli margo in tres quasi partes diuiditur. Spatio a basi ad apicem 10 linearum obtusam habet superficiem et leuiter planam: sequens spatium sex et dimidiam lineam longum obtusam atque rotundatam, vltima autem pars, ad apicem vsque, lineae vnius et dimidiae scindentem marginem habet. Manubrium octangulum, aut etiam quadrangulum, angulis paululum rotundatis, esse debet. Si ex altero oculo, priore opera-

operatione ad finem perducta, cataracta extrahenda est, alium cultellum eligere expedit, priore scilicet vnctuosa quadam materie obducto, quae vix, nisi spatio temporis quodam intercedente, demittitur.

Instrumentis oculum, durante operatione, immobilem reddentibus nunquam opus est: omniaque hunc in finem excogitata instrumenta auxiliaque operationem complicatam nimis reddunt, et generatim plus nocumenti, quam auxilii, adferunt. Iris adeo facilius laeditur, oculi bulbo instrumenti ope stabilito, quae scilicet circumuoluta cultello facile in pristinum locum suum decedit, si corneam chirurgus digito leniter fricat. Oculi insuper bulbus eo tempore, quo maxima necessitas est, tali hastula non figitur, quo nempe cultellus oppositam corneae partem incidit. Oculi praeterea per naturam stabiles tali instrumento non egent, et qui in conuulsiuos motus a quocunque attactu erumpunt, tali instrumento magis irritari solent, coniunctiua etiam inde aut cornea facile, ob motum oculi, laceratis. Obseruationibus tandem pluribus fuse enarratis probatur, hastulas tales, si nimis mouetur oculus, aut si iris cultello implicatur, operationi probe ad finem perducendae semper obesse.

Quaenam in operatione ipsa in casibus ordinariis p. 74. *peragenda sint*, nunc fuse enarratur. Ea omnia apposite et ita dicta sunt, vt mentem Cl. Auctoris lector facile assequatur. Redeunt autem eo, vt cornea versus angulum minorem incidatur, vt ampla satis incisio corneae sit, vt ea quarta lineae parte a sclerotica absit, vt bulbi compressio quaecunque, et iridis incisio caueatur, vt etiam, si cornea dura nimis atque coriacea est, cultello alia directio non detur, vt crystallinae lentis capsula, dum cornea inciditur, et ipsa incidatur, quo inprimis instrumen-

torum copiosorum, quae oculo semper perniciosa sunt, vsus cauetur.

Lentis crystallinae extractio oculario chirurgo plus operae, quam corneae incisio, facessit. Incisio quidem descripto modo peracta ad hanc etiam plurimum confert, et quae alias operationem, horizontali incisione in corneam facta, comitari solent mala, cauet, attamen in extractione lentis obscurantis visum princeps operationis pars sita est. Capsula lentis anterior vtplurimum quidem inciditur cum ipsa cornea incisa; attamen subinde etiam incisione in corneam facta per se incidenda est, quoniam cultellus diu in oculo nunquam restitare debet. Casus aliquot fuse enarrantur, vbi coriacea huius capsulae durities incisioni obstitit, ipsaque lens cum membrana hyaloide intime connexa extrahi vix, nisi cum iactura quadam vitrei humoris, passa est. Subinde crystallinae lentis anterior capsula cum ipsa lente opaca est, qui status ex punctis siue maculis in vna alteraue parte albidioribus, grandioribus, cognoscitur. Si lentem tantum occupant, profundiores, si capsulam, anteriores magis et quasi a lente separatae sunt, quae vtplurimum colorem vniformem album habet, et pupillam si capsula anterior opaca est, exacte replet. Hoc in casu capsula anterior non incidenda, sed incisa cornea, forcipula extrahenda est, quo facto demum lens ipsa extrahitur. Haec iterum ex more suo enarratis quibusdam copiose obseruationibus Cl. Auctor confirmat.

Non incidenda etiam cum cornea lentis anterior capsula simul est, si pupillae per naturam nimis coarctatae sunt et globi atque palpebrarum musculi ab instrumentorum attactu facile conuelluntur. Necincidenda est, si amplum nimis camerae posterioris spatium, quod inter crystallinam lentem et iridem

iridem eſt, exiſtit. Tunc ſemper cornea inciſa lentis capſula peculiari inſtrumento incidenda eſt.

Rebus ita ſe habentibus apex cultelli, quo cornea inciditur, in pupillam non immittendus eſt; et cultello ad incidendam capſulam non directo, vnica directione cornea incidenda eſt. Quo facto capſula acu aurea, plana, lineae vnius diametrum habente, cuius acutus apex paululum recuruatus eſt, aut etiam hamulo inciditur. Ipſa etiam haec acus pupillae, ſi nimis coarctata eſt et lenti exitum prohibet, dilatandae inſeruit: ſi vero hac methodo dilatari nequit, eam absque plurimo noxarum metu incidere expedit. Haec omnia obſeruationibus copioſe enarratis iterum confirmantur.

De corneae inciſione ſpeciatim. Opus eſt in qua- p. 104.
cunque cataractae operatione, vt digitus index mediusque manus, quae inciſionem non peragit, cultello infra per corneam emittendo fixum quoddam punctum praebeat, hinc hi digiti inſtrumento nullo occupentur neceſſe eſt. Sectio absque vllo alio cultelli ductu peragenda eſt, quae ſcilicet optime abſoluitur cultello lente, directione ſupra memorata immiſſo, neque huc vel illuc moto. Sectio ſemper ſatis ampla eſſe debet, indeque cultellorum variae diametri copia inſtructus ocularius chirurgus eſſe debet, vt ſcilicet cultellum eligat, cuius diameter inciſionis magnitudini reſpondeat. Peracta inciſione palpebra ſuperior ab adſtante ſurſum ducta demittitur ſenſim, lensque ſenſim in inciſa corneae parte in conſpectum veniens, acu, qua capſula inciditur, aut hamulo extrahenda eſt. Simul a glutinante materia, quae cum lente ſaepius prodire ſolet et ab ipſa lentis diſſolutione pendet, oculus ſedulo purgandus eſt. Quod hamulo peragitur, qui etiam iridi, ſi per inciſionem elabitur, reponendae, inſeruit. Saepius vero, in inueteratis, praeſertim cataractis, cry-

ſtallina

ſtallina lens difficulter emittitur adhaerens quippe contiguis. Tunc aurea acu ab adhaeſionibus ſuis liberanda eſt, quod ſubinde ſatis difficulter ſuccedit, et, vti et additae obſeruationes probant, plurimum operae faceſſit. Hinc etiam, at absque viſus hebetudine inſequente, aut alio incommodo proceſſuum ciliarium laeſorum acu ad ſeparandam lentem inducta ſubinde particula ſimul extracta eſt.

p. 117. Subinde cryſtallina lens in inferiorem corporis vitrei partem adeoque fere in oculi fundum immittitur, capſulis praeſertim ſuis deſtructis. Tunc margo ſuperior lentis tantum ſeſe offert. Oculus, ſi rerum facies haec eſt, nullo modo comprimendus, ne ſcilicet humor vitreus, qui a membrana hyaloide non amplius continetur, profluat. Hamulo potius ferreo, acuminato, lens, cuius vtplurimum volumen ſat exiguum eſt, prehenſa, extrahenda eſt. Extracta lente palpebrae ſtatim demittendae ſunt, ne vitreus ſcilicet humor profluat. Subinde tamen diutina admodum haec encheireſis, quae adeo in caſu hiſtoria XXIII. enarrato per tres horae partes durauit, et ipſa humoris vitrei colliquatio, membranae eum continentis deſtructio, caet. efficiunt, vt profuſio eius nullo modo queat impediri. Et tamen hi quoque aegri, quibus ſatis copioſe profluxit vitreus humor, viſum recuperarunt, ob regeneratum forte hunc humorem, aut aquoſo humore regenerato locum occupante. Si vero naturali modo conſtitutus humor vitreus eſt et omnia in operatione rite peraguntur, hic humor nunquam, niſi chirurgi ocularii culpa, profluit.

p. 125. *Cryſtallinae lentis opacae cum varicoſis vaſis complicatae extractio.* Subinde varicoſa vaſa in retina aut choroidea tunica cum cataracta complicata ſunt, et tunc operationem haemorrhagia ingens, at periculi expers, non longo poſt operationem tempore ſequi

ſequi ſolet. Is oculi ſtatus diligenti examine tactuque cognoſcitur. Durior enim oculus, quam in naturali ſtatu eſt, cornea contracta in apicem eleuatur, pupilla dilatata atque immobilis eſt. Ex antecedentibus etiam ſigna quaedam hauriuntur. Sclerotica vaſis varicoſis affecta facile ex angulis oculorum varicibus obſitis cognoſcitur.

Si cornea in inferiori aut laterali parte cicatricibus, maculis obſeſſa aut nimis parua eſt, inciſio ab inferiore parte ad ſuperiorem hoc modo debet progredi, vt inciſio in ſuperiori et laterali interna parte corneae, verſus angulum oculi maiorem exiſtat, locusque adeo paene oppoſitus illi ſit, qui ordinarie incidi ſolet. Tunc cultellus ſurſum dirigendus eſt, eodemque modo, quem enarrauimus, procedendum. Eaque inciſio priore difficilior non eſt, et illi praeferenda, ſi cornea exilis nimis eſt, ad ſtaphyloma vitandum, inciſione a palpebra ſuperiori penitus tecta et facilius ad coalitionem perducenda. Quae omnia iterum exemplis enarratis confirmantur.

Cryſtallina lens ſubinde in purulentam tabem fere penitus ſoluta eſt, ita vt capſulae nucleum reſolutum, purulentae materiae innatantem, contineant. Tunc hydatidem lens refert facile cognoſcendam ex pupilla penitus obturata et albo lentis colore. Incidenda hoc in caſu cornea inciſione verſus ſupernas partes directa eſt, et extractio lentis non acceleranda. Si ſueto modo cornea inciditur, cryſtallina lens nimis cito vtplurimum emiſſa vitrei corporis iacturam ingentem vtplurimum iunctam habet.

Humoris etiam *Morgagnii*, etſi negata a Celeberrimis viris, alteratio tamen quaedam locum habere poteſt, talisque, vt viſus obſcuretur, illaeſa et pellucida cryſtallina lente. Ipſe Noſter cum ali-

quoties

quoties oculum cataracta affectum incideret, visum absque extractione lentis restituit, profusa lactescente et purulenta quasi materie et crystallina lente, quae ob sublatum aequilibrium sponte protrudebatur, integerrima existente.

p. 149. Ad symptomata, quae iridi durante cataractae per extractionem operatione accidunt, etiam id referendum est, quod subinde in circuitus sui parte a partibus, quibus nexa est, separetur. Quod etsi vix frequenter accidit, opus est tamen, vt auertendae huic accidentiae omnis detur opera. Pater Nostri, incisa aliquando cornea oculi, qui successus insoliti metum haud incutiebat, capsulaque lentis crystallinae, statim iridem, quarta circiter circumferentiae suae parte, ab impulsu oculi humorum antrorsum tendentium separari vidit. Per hunc hiatum etiam crystallina lens transmissa extracta est. Humor vitreus simul satis insigni quantitate profusus est. In altero oculo euentus idem, at felix tandem, et absque vllo in sanatione incommodo, obseruatus est. Oculis vtrisque ad sanationem perductis visus per pupillam quidem nullus, contractam quippe penitus, verum per rimam, iride separata natam, satis commodus. In alio aegro, in quo eadem accidere, pupilla naturalis remansit rimaque iridis aliam constituit, nouamque pupillam, quae vero visui non obfuit. Concludit ex his Cl. Auctor, iridem peculiarem membranam esse, neque ab extenuata choroidea tunica continuari.

p. 156. *De iridis durante corneae incisione incisae coalitu.* Iridem incisam coalescere, plures obseruationes probant, pupillae adeo coalitus post hypopyon, inflammationes oculi violentas, cataractae operationem, locum habet. Hinc si pupilla artificialis necessaria est, pars iridis cultro auferri debet, ne laesae margines iterum coalescant. Exemplum etiam adfertur iridis

iridis durante corneae incifione fimul fecundum fibrarum fuarum longitudinem incifae. Vulnus absque inflammatione et dolore plurimis coaluit aegraque in priftinam valetudinem perfecte reftituta eft.

Regimen medelaque aegrotantium peracta operatione. Inflammatio, dolor, aliaque fymptomata, quae operationem excipiunt, vix femper auerti posfunt, licet in praeparatione et ipfa operatione omnia diligenter fuerint obferuata probeque fucceffe-rint omnia. Afferit tamen Nofter, haec fymptomata omnia, methodo fua obferuata, et rariora, et mitiora femper effe. Chirurgica fane operatio breuiffimo tempore peracta, incifione vnica abfoluenda, minores aerumnas fecum iunctas habere debet, quam alia, quae plus temporis et inftrumentorum requirit. Inde inftrumenta praeter neceffitatem multiplicata femper nociua funt, quum fimplicitas operationum qualiumcunque praeceptorum fummam in chirurgica arte efficiat.

Abfoluta operatione cauendum eft, ne oculus vllo humore humectetur, linteo tantum ficco, ligatura firmando, tegendus. Eundem in finem linteum quoque carptum adhiberi poteft. Eaque quotidie renouanda funt, vt lacrymae et materiae, quae in canthis oculi cumulantur, abftergantur, nifi circumftantiae peculiares alia indicent. Aegrum, cui cataracta ex vtroque oculo extracta eft, oportet fupinum cubare, fi vero in altero tantum oculo, in oppofito latere. Isque fitus pupillae deformationem, humoris aquofi profufionem nimis diuturnam, vitrei liquoris profufionem, dolores, inflammationem, palpebrarum inflationem, caet. efficaciffime cauet.

Primo alteroque die victus parcus, potus copiofus, diluens, effe debet. Si tertio die dolorum ex-

pers

pers aeger eſt, olera digeſtu facilia, carniumque iuſcula eſſe poteſt. Inflammatione aut doloribus ſuperuenientibus vena ſtatim in pede, iterato etiam, vrgente neceſſitate, incidenda, et in antiphlogiſticorum vſu, in tenui diaeta perſiſtendum eſt. Quae vero ſymptomata ſi locum non habent, his omnibus non opus eſt, iisque raro opus eſt, obſeruata methodo Wenzeliana.

Inferior palpebra, quae facile intra corneae vulnus committitur, ſtudioſe digito ſurſum ducenda eſt, qua facili cautela ſtaphylomata ſaepe praecauentur. — Demta ligatura oculi luci expoſiti lacrymas copioſe demittunt, hoc vero ſymptoma vix diu perſiſtit, neque periculoſum eſt, euaneſcens quippe eodem gradu, quo oculus luci adſueſcit. Nullo quoque modo periculoſum ſymptoma palpebrarum oedema conſtituit, quod ſola aëris in partem affectam actione diſſipatur. Tonica ad hanc inflationem reſoluendam adhibita aut inutilia ſunt, aut curationem retardant. Indeque ſoli naturae hae accidentiae committendae ſunt, neque de fruſtranea operatione metuendum, ſi etiam inflatio ingens fuerit diuque perſtiterit.

p. 165. Periculoſiſſimum ſymptoma, quod cataractae operationem excipit, bulbi oculi inflammatio eſt, in qua coniunctiua tunica, ſeroſis acribusque humoribus infarcta admodum tumeſcit. Saepius tunc cornea obſcuratur et hypopyo afficitur. In ipſis adeo oculi duabus cameris materia purulenta colligitur dolorque violentus atque continuus eſt. Si antiphlogiſtica generalia praeſidia medicamentaque ad reſolutionem non ſufficiunt, cum oculo vtplurimum actum eſt, cuius dolores vix, niſi eo ſuppurato, ceſſant. Tales vero funeſti caſus, prauis humoribus aut malae bulbi oculi conſtitutioni adſcribendi, raro admodum Noſtris ſeſe obtulerunt.

Subin-

Subinde a primis ſtatim poſt operationem inſtitutam diebus materia purulenta in oculo deponitur absque plurimo dolore alioue notabili ſigno. Indeque hypopyon, ſeu puris in anteriori camera, et empyeſis, ſeu puris in poſteriori oculi camera collectio, naſcitur. Hoc ſymptoma facile cognoſcitur, ſi diducta altero tertioue poſt operationem die cornea obſcura eſt, iris volideſcentem colorem habet, et aqueus humor turbidus eſt. Tunc ampla veſicatoria collo, aut partibus pone aures ſitis imponenda ſunt. Simul vena ſecanda, euacuantia danda, oculumque nulla prorſus ligatura continere expedit: topica enim qualiacunque tunc nullius auxilii ſunt.

Ad corneae poſt operationem coalitum XLVIII. horae ſaepiſſime ſufficiunt, indeque vix opus eſt, vt palpebrae per nouem, et quod excurrit, dies, clauſae ſeruentur: ſi enim vulnus dato tempore non coaluit, metus plurimus eſt, ne etiam dierum plurium ſpatio coaleſcat. Subinde vero, ſi libertas oculorum aegro committitur, tumor ſubniger, ſacculum formans, ab iride inductus, obſeruatur. Idemque tumor et ab aquoſi humoris capſula induci poteſt, tuncque transparet et colore ad caeruleum vergit. Hoc ſtaphyloma ſacculo paruo, transparente, per corneae inciſionem transmiſſo, tenſo, humore aquoſo turgido, valde ſenſibili, qui perfoſſus humoris aquoſi particulam demittit, efficitur. Eaque membrana ſubinde tam ſenſilis eſt, vt aegri hoc ſtaphylomate affecti doloribus ſat atrocibus crucientur.

Curatio ſtaphylomatis Noſtro haec eſt: Oculum neque compreſſionibus, neque medicamentis cauſticis vexat. Ipſe quippe liberior aër curationem eximie adiuuat, herniamque libera palpebrarum actio ſatis tuto citoque reducit. Si vero aquoſi humoris ſtaphylomata diutius perſiſtunt, expedit ſac-

culum rescindere, quod omni periculo vacat. Subinde eadem operatio, redeunte malo, iteranda est.

p. 177. *Cataractae secundariae species diuersae* nunc enarrantur. Non semper a capsula lentis crystallinae posteriore opaca cataracta secundaria pendet, verum saepius etiam a crystallina lente molli, paene fluida, quae extracta particulas subinde viscidas, tenaces in capsulae ambitu relinquit, quae extrahi simul non poterant. Quod in ipsa operatione tamen vix percipiendum, pluribus subinde diebus interiectis, absque vllis malae notae symptomatibus praegressis, accidit. Cornea incidenda iterum est, extrahendumque id, quod visui obest. Hanc cataractae secundariae speciem lympha viscidior constituere videtur, ipsaque copiose a Nostro extracta, mucosam, semiconcretam, digito prementi facile cedentem, ex griseo albi obscuriue coloris sese exhibuit. Nascitur forsan ab externa superficie lentis liquata atque resoluta, idque liquamen cum ipsa lente vix semper extrahitur, concauo margini agglutinatum, posteaque pone pupillam collectum lucis radios intercipiens. Fricata leniter post extractionem cornea, hae lemae saepius in conspectum veniunt, debito tunc modo extrahendae. Hanc cataractam *lymphaticam* Noster vocat, eamque duabus obseruationibus copiose enarratis illustrat. Opus autem inprimis est, vt, extracto omni, quod in pupilla haesitauerat, peregrino, cornea leniter digito aut instrumento quodam fricetur, quo saepe noua lymphatica materies, visui iterum obscurando perquam apta, colligitur. In altero, quem enarrat Noster, casu extractione lymphaticae materiei ter repetita, ad oculum penitus purgandum opus erat.

Molestum admodum symptoma posterioris partis capsulae lentis crystallinae obscuratio est, quae subinde absque plurimo incommodo, vtplurimum autem

autem praegreſſo intenſiore dolore, naſcitur. Haec ſecundariae cataractae ſpecies pueris frequentiſſime ſuperuenire ſolet. Vix niſi cornea iam coalita detegitur, qua iterum inciſa capſula forcipula extrahenda eſt, reſpectu tamen diligente habito, ne humoris vitrei membrana laedatur. Hinc ſola capſula prehendenda, palpebraque decidente eodem tenore, quo capſula extrahitur, cauendum eſt, ne vitreus humor prolabatur.

De marginum iridis fluctuantium coalitu et de pupilla artificiali. Pupillae coalitum inflammatio iridis atque ſuppuratio determinat, idque ſymptoma pro funeſto maxime, quod operationem ſuperuenire poſſit, ab omni tempore habitum eſt. Si aut a natiuitate, aut poſt cataractae operationem, iris praecluſa eſt, inciſionem in media eius parte longitudinalem aut cruciatam chirurgi ſuaſerunt, ſed haec methodus Noſtris vix vnquam ceſſit, iride ſemper fere iterum coaleſcente. Inde aliam viam, quae ſemper votis reſpondit, ingreſſi ſunt. Cornea nempe eodem modo, quam in cataractae operatione, inciditur: apex vero cultelli vbi ad mediam fere iridis partem pertigit, in ipſam hanc membranam, lineae dimidiae latitudine immittitur, extrahitur vero deinde, loco quarta parte lineae ab eo, vbi immiſſus fuerat, remoto. Poſtea corneae inciſio eodem modo, ac in cataractae operatione, abſoluitur, irisque inciſionem lineam paene latam, ſemicircularem, illi, quam cornea erat paſſa, ſimilem, exhibet. Reſciſa iridis lacinia forficulae ope, artificialis pupilla naſcitur, non coaleſcens. Pupilla ſi poſt violentam inflammationem coaleſcit, lens vtplurimum ſimul obſcuratur. Si vero etiam diaphana perſiſtit, ob ineuitabilem paene laeſionem, quae ob ſpatii inter lentem iridemque anguſtiam ſemper metuenda eſt, expedit ſemper lentem extrahere, ne ſcilicet ope-

p. 188.

 ratio,

ratio, elapſo temporis ſpatio quodam, iterum ad lentem extrahendam inſtituenda ſit.

p. 197. Subinde etiam pupilla non vbique clauſa eſt, rima quadam luminis radiis tranſitum permittente. Sed viſus tamen vtplurimum, ob capſulae lentis poſterioris opacitatem, interceptus eſt. Conuenit hinc, rebus ſic ſe habentibus, et iridis portionem auferre, et membranaceam cataractam extrahere.

Operationem, qua pupilla artificialis paratur, ſymptomata vehementia vix excipiunt, nec opus eſt, vt oculus temporis ſpatio tanto, quam poſt cataractae operationem, clauſus ſeruetur. Omnes, hac operatione peracta, cito, tuto et absque plurimo dolore, ſanati ſunt.

XXIII.

Noua phyſico-medica.

Viennenſis S. C. R. A. Ioſeph. ſocietas medico-chirurgica die decimo Maii, huius, quo viuimus, anno, congreſſa, praemia primae et ſecundae claſſis diſtribuit. Monetam auream a BRENDEL Chirurgo ſummam exercitus curante, (*Stabs-Chirurgus*) praemio expoſitam KARL HABERLEIN princeps Chirurgorum regimenti pedeſtris a KARL TOSKANA denominati, cuius de vulneribus ſciſſis, et punctis tractatio, ex 42 commentariis ad ſocietatem miſſis optima iudicata fuerat, accepit. Praemia argentea a diuerſis literarum fautoribus propoſita, ipſe Director a BRAMBILLA in iuuenes ſeptem, qui in duplici tentamine antea inſtituto, ceteris antecelluerant, contulit.

Eadem ſocietas hoc ipſo die monetam auream 100 flor. Vienn. pretio, huius quaeſtionis ſolutioni propoſuit: Quae optima ſit methodus vlceribus inveteratis extremitatum inferiorum medendi? Quaerit nempe ſocietas: 1) cur inferiorum potiſſimum

extre-

extremitatum vlcera ceterarum corporis humani partium vlceribus difficiliora ſint curatu? 2) Vnde oriantur vlcera, quae ſexum potiorem, et vnde illa, quae ſequiorem male habeant? 3) Quando talia vlcera absque aegri periculo ſanari poſſint, et quando ab illorum curatione abſtineri debeat? 4) Quaenam optima ſit medendi methodus in priori caſu, et quidnam denique in poſteriori caſu ſit faciendum? Ad has quaeſtiones enodandas admittuntur chirurgi et ciuiles et militares, tum indigenae, tum alienigenae. Commentarii ad Cl. a BRAMBILLA Protochirurgum et ſocietatis Directorem ante feſtum paſchale anni 1788 ſolutis vectigalibus mittantur. Cuiusque libelli auctoris nomen, titulus, et habitationis locus ſchedulae ſigillo occludendae inſcribendus eſt, quae externe ſymbolo conſignetur. Eodem, quo conſignatur ſchedula, ſymbolo inſcriptus ſit oportet Commentarius. Ipſi libelli vel idiomate Latino, vel Francogallo, vel Italico, vel denique vernaculo conſcripti eſſe poſſunt. Sint tamen ita compoſiti, vt et perſpectu, et lectu non ſint difficiles. Praeterea omnes verborum vitentur ambages.

Societas ſcientiarum et artium Bruxellenſis quaeſtionem: Quae ſunt medicinae et diſciplinae publicae praeſidia, quibus ſepulturis praeproperis anteverti poſſit? (*Quels ſont les moyens, que la medecine et la Police pourroient employer, pour preuenir les erreurs dangereuſes des enterremens precipités*): ad hunc, quo viuimus, annum iterum propoſuit. Quaeſtio phyſica ad hunc ipſum annum propoſita haec eſt: Quae ſunt vegetabilia indigena, vnde olea poſſunt elici, oliuarum oleo ſine periculo ſubſtituenda? Quae methodi ſunt aptae ad paranda et conſeruanda haec olea? Quanti denique ſunt futura aſſumto quodam materiarum pretio, e quibus educuntur?

(Quels font les végétaux indigénes propres à fournir des huiles, qu' on pourroit fubftituer avec fucces et fans danger à l' huile d' olive? Quelles font les methodes de preparer et de conferver ces huiles? Enfin quell fera leur prix, en fuppofant un Prix donné des matiers dont en les tire?)

Societas regia Medica Parifina praemia propofita ad quaeftionem: Indicare, in quibus morborum chronicorum fpeciebus et quo tempore febris obeffe vel prodeffe queat, et quae in illa vel excitanda, vel moderanda adhibendae fint praecautiones. (*Determiner dans quelles efpeces et dans quel tems des maladies chroniques la fievre peut etre utile ou dangereufe, et avec quelles precautions on doit l' exciter ou la moderer dans leur traitement*) partita eft, et aliam monetam auream 300 librarum PUJOL Medico Caftrenfi tribuit, aliaque 150 librarum pretio DUMAS M. D. Lugdunenfem ornauit; et cum *Vau Leewen* et *van der Eem* medici Amftelodamenfes bonam quoque tractationem, communi labore confcriptam mififfent: vtrique monetam auream 100 librarum pretium aequantem decreuit. Praemium acceſſorium inter MEZLER M. D. vrbis Gengenbach, et MOUBLET-GRAS opp. Taraskon in Provincia (*Provence*) eft diuifum. Ex tractatubus de medica diuerfarum regionum Topographia miffis, inprimis fex moneta aurea ornandos cenfuit. Auctorum nomina haec funt: GARNIER D. M. opp. *Neuf-chateau* in Lotharingia: YCARD M. D. Balneali Gabalorum (*Pagnols*) GERARD M. D. opp. *Cotignac* in Prouincia: DAQVIN M. D. vrbis Camberii (*Chambery*:) CHEVALIER DE LA CONDROYE opp. Sables d' Olonne, et YNDESE M. D. opp. Cette. Ex reliquis de rebus medicis commentariis miffis inprimis eminuerunt: LEBIERE Chirurgi prouinciae Lemouicenfis inferioris (*Nieder - Limoufin*) tracta-

tractatus *de rabie* adiecto diario morbi decursus septem hominum a lupo furioso vulneratorum: et PVJOL medici Castrensis libellus de febre puerperali singularibus stipata symptomatibus.

Societas scientiarum Philadelphica Celeberrimum CRELL Consiliarium metallicum, et Philosophiae et Medicinae Prof. vniuersitatis Helmstadiensis etc. in sociorum numerum recepit.

In academia Lipsica Exper. LVDWIG Medicinae Professor extraordinarius, munere Professoris historiae naturalis, quo b. LESKE, dum viueret, fungebatur, ornatus est.

Cl. PHIL. ADOLPHVS BOEHMER. Consiliarius Aulicus Medicinae Professor et senior academiae Halensis, Consiliarii secreti ornamento insignitus est.

In Cel. a MVRSINNA Protochirurgum et principem Chirurgorum legionis a MOELLENDORF appellatae, munus Professoris Chirurgiae Collegii medico-chirurgici, nosocomiique CHARITE' dicti, Chirurgi primarii delatum est.

Regia scientiarum academia *Parisina* LVDWIGIVM DE LA GRANGE classis mathematicae societatis scientiarum Berolinensis Directorem, Parisios accivit. Salarium, quod ei expositum est, constat 6000 libris. Ab ipso Borussorum rege eidem stipendium annuum 1200 librarum decretum est. Hic ipse vir paulo ante rogatus, vt academiae Neapolitanae Praesidis, filiorumque regis educationis Directoris munus susciperet, hunc vocatum non accepit, licet salarium 3000 Ducatorum ei promissum esset.

Lipsiae in bibliopolio Mulleriano nundinis post festum Michaelis futuris prodibit primus et secundus fasciculus huius operis: Tentamen historiae generalis et diuisionis naturalis auium, auctore MERREM Professore academiae Duisburgensis (*Versuch einer allgemeinen Geschichte und natürlichen Einthei-*

lung der Voegel von MERREM *Prof. zu Duisburg.*) Volumen primum, cuius ſemper vnus faſciculus quolibet trimeſtri prodibit, praeter prolegomena hiſtoriam ornithologiae litterariam continentia, anatomiam et phyſiologiam comparatiuam, generalemque conſpectum paſtus, habitationis, vitae generis, inſtinctuum etc. huic toti animantium claſſi propriorum complectetur, ſimulque per tabulas aeneas maxima ex parte ab ipſo auctore ſecundum naturam diligentiſſime delineatas illuſtrabit. Volumen ſecundum, praeter praefationem, vbi termini technici breuiter explicabuntur, ſyſtema aues ſecundum internarum et externarum partium conuenientiam, paſtum, et vitae genus coordinans exhibebit, cui adiungentur breuia ſigna, quibus ſyſtema hoc vſui magis accommodetur. Cui operi vt maior tribuatur perfectio, auctor, ſupplementa ſpecialis auium hiſtoriae in poſterum annectere, auiumque genera vel nondum, vel male ſaltem depicta atque deſcripta, iconibus coloratis melius exprimere, accuratiusque deſcribere, animo conſtituit.

Mortui ſunt:

Die IV Aprilis huius, quo viuimus, anni Viennae I. IACOB A WAL Philoſophiae et Medicinae Doctor et Profeſſor ordinarius anno 63 aetatis.

Die IX Aprilis Moguntiae I. IACOB NAVHEIMER Conſiliarius Aulicus, archiater, et Medicinae Profeſſor ordinarius, annos 60 natus.

Die XVII huius ipſius menſis Halae Celeberrimus WENCESLAVS IOANNES GVSTAVUS KARSTENIVS Conſiliarius aulicus et Profeſſor Matheſeos et Phyſices anno 54 aetatis.

Die XXIII. Menſis Maii Viennae MAXIMILIANVS STOLL S. C. R. A. Maieſt. Conſiliarius, Medicinae clinicae Profeſſor Publicus Ordinarius natus 45 annos,

annos, vir ita de medicina meritus, vt quisque bonus medicus praematurum eius obitum vehementiſſime lugeat.

Die XXV eiusdem menſis Berolini IABLONSKY ſecretarius anno aetatis 31. Syſtema inſectorum, quo innotuit, eius memoriam conſeruabit.

XXIV.

Continuatio Indicis librorum phyſico-medicorum, qui anno 1783 prodierunt.

FRIEDR. IOH. GOERZ. Diſſ. inaug. nouum ad ligaturam polyporum vteri inſtrumentum deſcribens, Gottingae. 4.

Explication d'un paſſage des epidemies d'Hippocrate, lequel donne occaſion d'en corrige un d'Artémidore mal interpreté par Suidas; dans les notes ou rétablit un endroit altéré de Galien. Par Mr. JEAN GOULIN, à Paris. 8.

Diätetiſches Wochenblatt für alle Stände von F. B. C. GRAUMANN. *Dritter und letzter Band. Roſtock.* 8.

Conſpectus medicinae theoreticae, ad vſum academicum. Auctore IACOBO GREGORY. Edit. 2. Vol. 2. Lond. 8.

Il ſetificio ovvero memorie dodici di FRANCESCO GRISELINI, ſopra i diverſi rami georgici, e d'induſtria che lo coſtituiſcone. 2 Tomm. Verona. 4.

Kritiſche Nachrichten von kleinern medicin. Schriften inn- und ausländiſcher Akademien, vom Jahre 1780 *in Auszügen und kurzen Urtheilen dargelegt von D.* CHR. G. GRUNER. 1*ſter Theil. Leipzig.* 8.

EIUSD. *Almanach für Aerzte und Nichtärzte auf das Iahr* 1783. *Iena.* 8.

EIUSD. Delectus diſſertationum Ienenſium. Vol. II. collegit atque continuauit. c. fig. aen. Heidelbergae. 4.

Nuovo Syſtema d'ordine, per perfezionare, e per meglio eſercitare la practica medicina. Del Dottor B. GUELFI. Part. I. et II. Venezia. 8.

Beyträge zur Beſtimmung des Alters unſerer Erde und ihrer Bewohner der Menſchen, von FR. GÜSSMANN. *2ter Theil. Wien.* 8.

Ame des Bêtes, par feu Mr. l'Abbé GUIDI. A Paris. 12.

Diſſertatio medico-chirurgica de iſchuria cum enormi veſicae extenſione, per M. CH. H. HAAS. Strasburg. 4.

A. *von* HAEN *Heilungsmethode etc. 7ter Band. Mit einigen Auffätzen begleitet von D.* E. PLATNER. *Leipzig.* 8.

Magie oder die Zauberkräfte der Natur, ſo auf Nutzen und die Beluſtigung angewandt worden, von IOH. SAMUEL HALLE. *Mit 9 Kupfertafeln. Berlin.* 8.

C. A. HARTWIG diſſ. inaug. de nonnullis antimonii praeparatis eorumque vſu medico. Lipſ. 4.

Eſſai d'une Theorie ſur la ſtructure des Criſtaux; appliquée à pluſieurs genres de ſubſtances criſtalliſées. Par Mr. l'Abbé HAUG. 8.

Obſervations on the general Bills of Mortality, by W. HAWKES. Together with farther Hints for reſtoring Animation. By A. FOTHERGILL. Lond. 8.

Diſſertatio medica de vſu legitimo oleoſorum in variorum morborum medela, auctore FRID. HEILMANNO. Baſileae et Argentorat. 4.

IO. HEINECKE diſſ. inaug. de morbis neruorum eorumque frequentiſſima ex abdomine origine. Gottingae. 4.

D. HENNEMANNS *Samml. der neuern Schriften über die Vieharzneykunſt, in vollſtändigen Auszügen und Ueberſetzungen.* 1. *B.* 1. *Stück. Stendal.* 8.

D. PHIL.

D. PHIL. GABR. HENSLERS *Geschichte der Lustseuche. Erster Band. Altona.* 8.

Die Iagdlust oder die hohe und niedere Iagd etc. von I. CHR. HEPPE. I. *und* 2. *Theil. Nürnberg.* 8.

Versuch einer Naturgeschichte der Krabben und Krebse etc. von I. FR. W. HERBST, *4tes und 5tes Heft. Zürich.* 4.

Tabula affinitatum animalium etc. auctore JO. HERMANN. Argentorati. 4.

C. G. L. HEYNE diss. inaug. de ileo. Gotting. 4.

G. FR. HILDEBRANDT diss. inaug. de pulmonibus. Gottingae. 4.

Taschenbuch für Gartenfreunde, herausgeg. von C. C. L. HIRSCHFELD. *2ter Iahrgang. Kiel.* 12.

EIUSD. *Theorie der Gartenkunst. Leipzig.* 8.

A System of the Practice of Medicine, from the latin of Dr. HOFFMANN. 2 Vols. 8. London.

The Efficacy and Innocence of solvents candidly examined, with Experiments and Cases. By ROB. HOME, Surgeon of the Savoy. Lond. 8.

Dissertation sur les parties sensibles du Corps animal suivie d'un Mémoire sur les avantages que procurent les frictions mercurielles dans le traitement de quelques épilepsies idiopatiques, avec les consultations et lettres qui y ont rapport; terminée par deux observations sur l'usage du Mercure pour la guerison du scorbut èt des dartres. Par Mr. HOUSSET, à Paris. 8.

C. G. HUFELAND diss. inaug. sistens vsum vis electricae in asphyxia experimentis illustratum. Gottingae. 4.

JOH. HUNCZOVSKY *Medicinischchirurgische Bemerkungen auf seinen Reisen durch England und Frankreich, besonders über die Spitäler. Wien.* 8.

An

An Eſſay on Fevers, to which is now added a Diſſertation on the malignant ulcerous Sore-Throat, by JOHN HUXHAM. Lond. 8.

Obſervationes de aëre et morbis epidemicis ab anno 1749. Ad exitum vſque 1752. a Patris manuſcripto edidit IO. COR. HUXHAM. Lond. Tomus IIItius. 8.

Naturſyſtem aller bekannten in- und ausländiſchen Inſekten, als eine Fortſetzung von der Büffonſchen Naturgeſchichte. Nach dem Syſtem des Ritters CARL *von* LINNÉ *bearbeitet von* CARL GUSTAV IABLONSKY. *Der Schmetterlinge erſter Theil. Mit 6. illum. Kupfertafeln. Berlin.*

IADELOT'S *Lehre von der Natur des geſunden menſchlichen Körpers, mit Anmerkungen und Vorrede von* STARKE, *aus dem Latein. überſ. von* PANZERBIETER. *Iena.* 8.

D'IHARCE Erreurs populaires ſur la médecine, ouvrage compoſe pour l'inſtruction de ceux qui ne profeſſent pas cette ſcience, avec l'explication des termes de l'art dont on n'a pas ſe diſpenſer de ſe ſervir, à Paris 8.

Verſuche über einige phyſiſche Gegenſtände. Von C. F. D'INARRE. *Frankfurt.* 8.

ROBERT WALLACE JOHNSON *neues Syſtem der Entbindungskunſt; aus dem Engliſchen durch D.* IUST. CHRIST. LODER, *Prof. zu Iena etc. Leipz.* 8.

DE ROME DE L'ISLE cryſtallographie, ou deſcription des formes propres à tous les corps du regne mineral dans l'etat de combination ſaline, pierreuſe ou metallique, avec figures et tableaux ſynoptiques de tous les criſtaux connus, à Paris IV. Vol. 8. 2. ed.

Traite des léſions de la tête par contrecoup, et des conſequences pratiques. Par Mr. DUPRÉ - DE L'ISLE. Paris 15. pagg. 12.

I. G.

I. G. IUGELS Physica subterranea; *oder Bewegungskraft der elementarischen Wirkungen etc. Berlin und Leipzig.* 8.

Versuch eines Lehrbuchs der Landwirthschaft der ganzen bekannten Welt, von D. IOH. HEINR. IUNG. *Leipzig.* 8.

ENGELB. KAEMPFERS *abgekürzte Geschichte und Beschreibung des Iapanischen Reichs, aus den Originalhandschriften des Verf. mit Erinnerungen von* CHR. WILH. DOHM *und* CASIM. MEDICUS *herausgegeben. Frankf. und Leipz.* 8.

W. I. G. KARSTENS *Anleitung zur gemeinnützlichen Kenntniß der Natur, besonders für angehende Aerzte, Kameralisten und Oekonomen, Halle.* 8. *mit* 4 *K.*

I. S. KERNERS *Beschreibung und Abbildung der Bäume und Gesträuche, welche in dem Herzogthum Würtemberg wild wachsen. Mit Kupf. Stutgard.* 4.

EIUSD. *Handlungsprodukte aus dem Pflanzenreiche,* 4*tes und* 5*tes Heft. Stutgard. fol.*

Wahrhafter Bericht vom philosophischen Athanor, und dessen Gebrauch und Nutzen, von HEINR. KHUNRATH, *wegen seiner überaus großen Seltenheit, nach der dritten* 1615 *zu Magdeburg gedruckten Ausgabe aufs neue von deutschen Sprachfehlern gesäubert. Leipzig.* 8.

EIUSD. De igne magorum philosophorumque secreto externo et visibili; *d. i. Philosophische Erklärung des geheimen, äußerlichen, sichtbaren Glut- und Flammenfeuers. Neue und mit Anmerk. versehene Auflage. Leipzig.* 8.

D. KIRKLANDS Inquiry into the present State of Medical Surgery, Vol. I. 8.

REICHART KIRWAN *Versuche und Beobachtung über die specifische Schwere in die Anziehungskraft verschiedener Salzarten, und über die wahre neu entdeckte Natur der Phlogisten, aus dem Englischen, durch*

durch D. LORENZ CRELL. *Berlin und Stettin.* 8.

Tagebuch der Reisen von N. E. KLEEMANN. *Mit einer zuverläßigen Karte von der Krim und vielen Kupfern. Prag.* 8.

Meine Gedanken über die wunderbare Wittterung des Junius 1783 *von* KOERBER.

ULRICUS AUGUSTUS KRAUS dissert. qua disquiritur: an febris putrida sit contagiosa, praes. G. F. PLOUCQUET. Tübing. 4.

KRÜNITZ *Encyclop.* 27 *Band.*

WENCESLAI TRNKA DE KRZOWITZ Historia febris hecticae omnis aeui obseruata medica continens. Vindobonae. 8.

C. G. KÜHN diss. inaug. de forficibus obstetriciis, recens inuentis. Lips. 4.

Des Pater LABAT *Reisen nach Westindien. Nach der neuesten Pariser Ausgabe übersetzt, auch mit nöthigen Anm. und vollständigen Registern versehen von* G. F. C. SCHAD. 3*ter Band. Nürnberg.* 8.

ROLAND MARTIN Läkare-Grunder til biträde för Styresmän och Domare. Stockholm hos Brodin 1783. 8.

Le Cri de la Nature, ou le Magnetisme au jour; ouvrage curieux et utile pour les personnes qui cherchent à étudier les causes physiques du Magnetisme, ainsi que les phénomenes qui s'y rapportent; par Mr. L. DE LANDRESSE, à Paris, chez Clousier. 8.

V. A. LAPPENBERG diss. inaug. de diathesi sanguinis inflammatoria. Gottingae. 4.

Phytographie universelle par Mr. DE LAS, ou nouveau systeme de botanique, fondé sur une méthode descriptive de toutes les parties de la fleur avec une nouvelle langue Anto-phyllographique. Stockolm et Lyon. 8.

Nouvel-

Nouvelle methode de traiter les fractures et les luxations; ouvrage traduit de l'Anglois par Mr. LASSUS, chirurgien de Mesdames etc. A Paris chez Mequignon l'aine. in 12.

Essai ou Discours historique et critique sur les decouvertes faites en anatomie par les anciens et par les modernes; par Mr. LASSUS. A Paris chez Lambert et Baudouin. 8.

LAUGIER nouvelle decouverte pour l'humanité, ou Essai sur la maladie de Cythere, dans lequel en trouve un précis des differentes methodes qui ont été connues jusqu' à présent pour le traitement de la maladie dont il s'agir; avec un choix raisonné de tous les moyens qui ont été mis en usage à fin d'en détruire la cause et les effets, à Paris 8.

LAVOISIER *physisch chymische Schriften, aus dem Französ. von* WEIGEL. *Greifswalde.* 8.

Der Herren LE BLANC *und* HOIN *Abhandlungen von einer neuen Methode die Brüche zu operiren. Leipzig.* 8. (LEBLANCS *Abhandlung macht den 2ten Theil seines kurzen Inbegrifs etc. aus.*)

EIUSD. *kurzer Inbegrif aller chirurgischen Operationen. Mit Kupfern. Aus dem Franz. mit Anmerk. herausgegeben von D.* CHR. FR. LUDWIG. *1ster und 2ter Band. Leipzig.* 8.

Dissertatio inauguralis pathologico-practica de crisi febrium per aluum, Auct. a M. C. A. B. LEHR. Strasb. 4.

D. L. F. B. LENTIN *Beobachtungen der epidemischen und einiger sporadischen Krankheiten am Oberharze vom Jahr* 1777 *bis incl.* 1782. *Dessau u. Leipz.* 8.

Neues Englisches allgemeines Dispensatorium, von W. LEWIS. *Erster Band. Zweyte sehr vermehrte Auflage, aus dem Engl. übers. Breslau.* 8.

Reliqua proxime.

Contenta in hac parte.